



Restaurierung  
H. D. Lomp  
36110 Schlitz



POSITIONES THEOLOGICÆ,  
DE  
**EXORCISMO**  
BAPTISTICO,

16

ET  
ΑΡΤΟΚΛΑΣΙΑ  
EUCCHARISTICA,

PRO  
B. GERHARDO,

Contra  
WENDELINI EXERCITATIONEM XC. & XCII.

Divinâ adstante Gratiâ,

in Almâ Pomeranorum,

*Consensu Venerandæ Facultatis Theologicæ,*

P R Æ S I D E

**DANIELE LAGO,**

S. Th. ibidem D.

*Publico Examine subjectæ*

JOHANNE Törning/ Westerwikiâ-Svæco.

*Ad diem Junii horis à septima matutinis.*

---

GRYPHISWALDIÆ,  
Typis Viduæ J: Jegeri Ac. Typogr. impressæ 1659.



Sacratissimæ Reg. Majestatis,  
*Regnorumq; Sueciæ & Gothiæ Senatori, ac Thesaurario Magno; Generali Governatori Livoniæ Civitatisq; Rigensis; Generalissimo Exercituum, Statusq; bellici per Livoniam, Esthoniã atque Ingriam; nec non Summo WestroGothiæ ac Dabliæ Legifero; ut & Legato ad Tractatus Polonicos Plenipotentiaro Eminentissimo,*

Illustrissimo Celsoq; Heröi,  
& DOMINO,

DN. MAGNO GABRIELI  
DE LA GARDIE,

Comiti in Leckö & Arensburg / Libero Baroni  
in Eckholmen / Dynastæ in Habsaal / Magnus-  
hoff & Höyentorp. &c. &c.

Domino meo Clementissimo.

*Simul ac*

*Celsitis. ipsius Generosissimis Filiis,*  
Per Illustribus Dominis,

DN. GUSTAVO ADOLPHO  
DE LA GARDIE,

DN. JACOBO AUGUSTO  
DE LA GARDIE,

Comitibus de Leckö & Arensburg / Liberis Baronibus  
in Eckholmen / Dynastis de Habsaal / Magnushoff  
& Höyentorp / &c. &c.

Dominis itidem meis Gratosissimis.



Erissimo dicitur prover-  
bio: *Magnos Magna decent.*  
Quod quàm sit Illust. T<sup>e</sup> Celsit<sup>ni</sup>.  
accommodatum, nemo ignorare  
potest, qui capere modò potest.  
Nimirum, sicut Illust. T. Celsit<sup>do</sup>.  
non tam Nomine, quàm rarâ præ aliis virtute *Ma-*  
*gna* est: ita in *Magno* constituta fastigio, *Magna* ad-  
ministrare munia habet. Cætera ut omittam,  
de præsentis Legationis munere, à Sacrat<sup>sa</sup>. Reg.  
M<sup>te</sup>. semper AUGUSTA, Illust. T. Cels<sup>ni</sup>. deman-  
dato, quid dicam? Est hoc Maximum, est hoc ex-  
peditu difficilimum. Illud, quia totius Regni sa-  
lutem concernit: Hoc, quia singularem requirit  
Prudentiam, paucissimis, nec nisi omnium rerum,  
peritissimis competentem. Ast per Illust. T.  
Celsit<sup>em</sup>, in Quâ sunt omnia, quæ aut Natura homi-  
nibus, aut DEUS largitur; Hoc sive munus, sive  
onus, sive utrumque, & munus & onus, peragi ap-  
primè potest. Vix enim res ulla est, in virium  
saltem humanarum potestate sita, cui non Illust. T.  
Cels<sup>do</sup>. & Consilio regendæ, & Prudentiâ tempe-  
randæ, & Virtute conficiendæ, & Autoritate con-  
servandæ par sit & idonea. Quàm enim semper  
fuerit Illustr. T. Celsit<sup>do</sup> ad pericula Fortis, ad con-  
filia

filia Prudens, ad casus fortunamq; Felix, illi soli ne-  
sciunt, qui nihil sciunt. Ut nullus dubitem, quin  
Illust. T. Cels<sup>do</sup> jam jam effectura sit, ut alma, totq;  
votorum suspiriis expetita haectenus, & expetenda  
Pax Polonica coeat. T. inquam, Illustr. Celsit<sup>do</sup>.  
effectum dabit, ne immanis ille cruor, qui tot ho-  
minum millia, per aliquot jam annos absorpsit, la-  
tius se diffundat. Atque ut melius, commodi-  
usq; & citius possit, Supremum Legationis Mode-  
ratorem, D E U M T. O. M. suspiriis precor ar-  
dentissimis, ut Illust. T. Celsit<sup>m</sup>. potenti sua dextra  
hic & ubique locorum fulciat atque protegat,  
Eamq; Spiritu Sapientiae & Intelligentiae, Spiritu  
Consilii & Prudentiae ungat ac impleat, ut hic Pa-  
cis Tractatus, per T. Illustr. Celsit<sup>m</sup>. mox inchoan-  
dus, acceptus DEO, & a DEO benedictus, cedat  
vergatq; in aeternam nominis Divini gloriam, cer-  
tissimum Regni nostri emolumentum, & immor-  
tale Illust. T. Celsit<sup>is</sup> Decus. Sic merito licebit  
repetere, quod in inscriptionis limine posui:  
Magnos Magna decent, hoc est, MA-  
GNUS noster LEGATUS, MAGNUS  
GABRIEL DE LA GARDIE,  
Magnam suam, secundum DEUM, Pru-  
dentiâ, Magnam nobis rem, desidera-  
tissi.

tissimam ab omnibus Pacem, restituit.  
Nec nisi *Magna* quæque & *Excelsa* Per Illust.<sup>es</sup> ac  
Generosiss: Celsit<sup>is</sup>. T. Filii minantur. Nam, ne  
longius abeam, certè Hi præclaris suis optimèq;  
coeptis in Academiâ Pariâ studiis, evidentissimè  
ostendunt, Se ex Magno esse Parente, ad  
Maxima natos. Parum id est. Jam varia  
maximaq; Illustrium Virtutum specimina, modis  
ediderunt variis. Ut cuivis non tam ariolari &  
conjicere, q̄ indubitato conficere in proclivi sit,  
Illos, Paternis Magnorumq; Avorum  
ac Proavorum vestigiis, certo certius  
fore incesuros, non audeo dicere, ex-  
cesuros. Quo nomine *Maximâ* digni sunt  
gratulatione. Huic autem cum idonea satis O-  
ratio mearum non sit virium, præsentem Disputa-  
tionem Theolog. Illustr. T. Celsit<sup>ni</sup>, unâ cum Per-  
Illust<sup>o</sup>. Generosiss. q; Celsit<sup>is</sup> T. Filiis, debitæ gratu-  
lulationis loco, humilimâ animi subjectione,  
dedicandam existimavi, tum quod ad reliquas, quæ  
in V O B I S splendidissimè elucent virtutes, hanc  
quoque accedere intelligam, quod licet T. præpri-  
mis Illustr. Celsit<sup>do</sup> innumeris gravissimisq; occupa-  
tionibus, nunquam ferè non distringatur, quicquid  
tamen otii ac interspirii interdum conceditur, id in  
rerum

rerum Theologicarum meditationibus, Divina  
quâdam pietate consumit: tum ut devotam admi-  
rationem, quâ Illust. T. Cels<sup>is</sup>. pariter ac PerIllust.  
Cell. T. Filiorum Heroicam indolem tacitus vene-  
ror, levidensi testatam documento efficerē. Quod,  
ut Illust. T. Cels<sup>do</sup>. simul ac PerIllust. V. Generosit<sup>ca</sup>.  
clementi adspicere vultu dignētur, & me inter illos  
numerare, qui pro Illust. T. Cels<sup>is</sup>., Vestrarumq; si-  
mul PerIll: Generos<sup>um</sup>, ac totius Illustrissimæ Vestræ  
Familiæ salute omnigenâ, felicissimoq; omnium  
rerum successu & incremento, serias ad DEUM  
preces fundere, nullo tempore, die, vel loco ces-  
sant, eâ, quâ par est, submissione, etiam atque et-  
iam contendo. In quo voto, faustoq; augurio,  
desino.

Illust<sup>rifs.</sup> T<sup>x.</sup> Celsitud<sup>is.</sup>

ut &

PerIllust. V. Generosit<sup>um</sup>.

*Gryphiswaldie, VIII. Junii Anni*

*reparate per Christum salutis*

*M. DC. LIX.*

Humilimus Cliens

*Johannes Förning! Westervikensis.*

*Respond.*



**C**um passim doceant Calvini de grege mysta,  
Quod circa ritus libera jura sient,  
Qui libertatem nobis evertere tentant,  
Quando Exorcismum tollere prorsus avert?  
Qui servitutem sibi non inferre verentur,  
Quando Artoclasiam prorsus abesse vetant?  
Pluribus opposita hac illis tua lemmata monstrant,  
Pro qua pugnantem palma decora manet.

Cum voto prosperi studiorum suc-  
cessus ser.

Johannes Michaelis,  
S. Theol. D. & Ptof. h. t.  
Acad. Rector.



Ad

*Eximium & Solertissimum Dn. Respondent.*

**D**um sua signa iterum lætè latèq; per orbem  
Explicat Irene, Tu nova bella paras;  
Qualia sed Pindi præses, Thymbæus Apollo  
Cædibus haut ullis horrida mitis amat.  
Ingenii res est, cui Pallas arma ministrat,  
Insigni genio luce benigna tuo.  
Imò bella geri sat nosti Sancta J E H O V Æ,  
Qui causam nescit deseruisse suam.  
Ergò quicquid agis, peragas modò pectore firmo,  
Mox doctum ornabit Laurea pulchra caput.

PRÆSES.

F

On

4  
 ΟΤΙ ΠΕΙ ΕΞΟΡΚΙΣΜῶΣ ἘΒΑΠΤΙΣΜῶΣ, ΤΕ ΚΑΙ ΔΕΘΚΛΑΣΙΑΣ ΔΥΧΑΡΕΣΙΑΣ  
 ΔΙΑΛΕΓΟΜΕΝΟΙ, ΔΙΑ ΤῆΤΟ ΑΤΟΠΝ ὦΜΕΝ ΠΙΗΣΕΙΝ, ΕΙ ΣΙΙ ΕΝ Τῶ ΑΥ-  
 Τῶ ΤῶΤΩ ὀμιλῶντι ἔσυνήδομη, μάλιστα δ', ὅτι σὺν ἀφρόνως πράττης,  
 ἀλλὰ νενεχόντως ἐσκόπησας καὶ ἐμνήσθης τῶτων ῥημάτων· εἴ μὴ ἐν τῷ  
 εἴη ἔσχατον τέλεον, ἀλλὰ αἰεὶ ἡ δι' ἔπρον αἰρέμεθα, καὶ ἐκείνο δι' ἄλλο,  
 καὶ αἰεὶ ἐν τῷ παρόντι ζητήσωμεν, εὐδέποτε ἐπιτευξόμεθα ἔφ' ἡμέτερα,  
 καὶ ἔτω συμβαίνη μαλαίαν καὶ κενὴν τὴν ὄρεξιν εἶναι σὺν ὄντι ἔφ'  
 ἔσεται φερόμενοι. Νῦν δέ, τῶτος ἕνεκα ἵνα τῷ ἐλευθερίων διατρι-  
 βῶν τέλεον ἰατίον τε ἔραον δύνῃ ἐπιτυγχάνειν; μὴ καθκνήσῃ σῶ  
 μακρῶν ὁδὸν πορεύεσθαι πρὸς τὰς χρήσιμον ἢ διδάσκειν ἐπαγγελιο-  
 μῶν; ἀλλὰ τῶτος πεφυλαγμένως; κατὰπερ ἔξοτα τὸν σκοπὸν βλέπω-  
 σιν· ἔτως ἔσὺ πᾶσαν ἀσθεὴν ἔσπερθυμίαν πρὸς θεολογίας ἐπιήσω.  
 Τὸ πλευραῖον, κοινῶς ἐστὶ προσέχειν· ὡσπερ τὴν μέλιτιαν ὀρώμεν ἔφ'  
 ἅπαντα μὲν τὰ βλασήματα καθιζάνουσιν, ἐκάστῃ δὲ τὰ χρήσιμα  
 λαμβάνουσιν· ἔτω χεὶρ ἔσὺ παιδείας ὀρεγομένης, μηδενὸς μὲν ἀπεί-  
 ρως ἔχειν· πᾶσαχόθεν δὲ τὰ χρήσιμα συλλέγειν. Σωφρονεῖς ἐν ταῦτα  
 μελετῶν. ἐλπίδα γὰρ τοῖς τὴν γογεῦσαι ἔσὺς ἄλλοις παρέχεις, ὡς ἀν πρε-  
 σβύπερ ἔσὺ τῇ θεολογίᾳ ἐμμένῃς, καὶ ἔσὺτον ἐπιδώσεις ὅσονπερ νῦν,  
 πεχέως γνήσῃ ποιῶν, ὅιον προσήκη. Ὅτ' ἐν λοιπὸν, ἔσὺ εὐχο-  
 μα, ἵνα καθ' ἐκάστην ἡμέραν τεχνῶν τε ἔσὺ δέστων λαμβάνῃς. ἐρῶσω.  
 Σπασοβαίως ἐγράφη μοι ἔσὺ δέσως ταῦτα ἀπὸ Γρυφοσύλης μηνὶ Ιου-  
 νίῳ η'. ἐν ἔτῃ ἀπὸ τῆς ἐνοσαρκώσεως ὀικονομίας α, χ ν θ.

Τῶτος Φιλίας ἕνεκα τῷ ἐνιμίῳ ἔσὺ κρατῆσῳ  
 συμπατριώτῃ κυρίῳ Ιωάννῃ τῷ  
 Τορνίγγῳ συγχαίρω

ΜΑΤΘΑΙΑΣ J. ΜΩΛΥΘΑΓΙΟΣ.



I. N. J.



Urea si libertas jure audiat Civilis, potior certè omni Gazà Indorum & Persarum judicanda erit spiritualis illa, in quam nos Salvator aseruit, non tantum à dominio supplicioq; peccati, adeoq; simul ab irà DEI, & tyrannide Diaboli; vel à maledictione, ac rigore Legis moralis: verum etiam à jugo Legum Ceremonialium planè jam immunes: atque tum committendi plurima, tum omittendi, de quibus nullum extat vel Edictum Divinũ, vel Interdictum apertum, a quã potestate donatos. Ut, de legitimo Adiaphororum usu, quocunq; suscipiuntur Dissertationes, tanto minus supervacaneis nugatoriorum operum perfunctionibus accenseri mereantur, quanto in frequentiori more Antagonistis positum est, ut hocce sub schemate ad ipsam Religionis arcem cuniculos fraudulentissimè agant. Cetera ne curemus, recolligantur modò altiori animo, quas Orthodoxie nostræ Calviniani struunt, dum vel abrogare, in Baptismi actu, Exorcismum nostrum, vel suam recipere, in Eucharistiã, ΑΡΤΟΧΛΑΣΙΑΝ jubent, imposturæ. Nec dubitamus, quin suo se in iudicio prodituri sint, ubi summam utriusq; postulati iniquitatem breviter monstraverimus: propitio nim. Supremo Numine, cujus gratiosam Adfistentiam supplici precatio-  
ne ante omnia imploramus.

A                      POSI-

POSITIO PRIMA.

**S**atis antiquus est Exorcismus Baptisticus, quem Lutherani adhibent, non ἐνεργητικὸς, sed merè συμβαλινός.

§. 1. Originem si scrutemur vocis *Exorcismi*, mox liquidò patebit, græcam hanc esse, descendantem non ab *orco*, ut Calviniani inscitè nugantur: sed à nomine ὄρκος, quod juramentum, seu jusjurandum, designat, & ipsum à nomine ἑρκος derivatur, quod contineat & cohibeat jurantem intra fidejussionis suæ metam, sive septum. Inde enim fit verbum ὀρκέω, ὀρκίζω, unde ἐξορκίζω, ἰππορκίζω; Et porrò ἐξορκισμὸς, ἰππορκισμός. Latine dicitur *Adjuratio*, cujus significatio duplex occurrit, *forensis* altera, altera *Ecclesiastica*. Sensu *forensi*, adjurare, est juramentum exigere, vel ad jusjurandum adigere. *Ecclesiastico*, in gravi serioq; mandato aliquid tradere, ut *Matth. XXVI, 63.* ἐξορκίζω σε, hoc est, autoritate divinâ edico tibi & precipio, ut nobis dicas, num tu sis CHRISTUS Filius DEI? Et *I. Thess. V, 26.* ὀρκίζω ὑμᾶς τὸν κύριον, h. e. divinâ autoritate impero, ut legatur *Epistola* hac omnibus sanctis fratribus.

§. 2. Ad Diabolum si transferatur, variat *Exorcismus*, pro varietate potestatis, aut occupationis, quam, ex indultu & judicio Divino, in homines spiritus immundus usurpat. Quandoque enim *corporali* obsessione, seu immani cruciatu corporis, ac membrorum tormento, tyrannidem suam, & divinam adversus peccata nemesis in aprico ponit. Interdum *spiritualiter* homines adoritur, h. e. animas eorum invadit, & domicilium tenet. *Luc. XI, 26.* Tunc vadit (immundus spiritus) & assumit septem alios spiritus secum nequiores se, & ingressi habitant ibi, fiuntq; noxiosissima hominis illius pejora prioribus.

§. 3.



§. 3. Hinc ergo *Exorcismus* alius *corporalis* evadit, alius *spiritualis*. Illi nullo quidem exemplo idoneo fidem faciunt instrumenti Vet. libri: Et ἀγροφον omninò est, quicquid *Josephus* lib. 8. *antiq. Judaic. cap. 2.* de peculiari quadam arte spiritus immundos profligandi, per radicem Salomonis, tradit. Prodeunti autem ad docendum Salvatori largior dæmoniacorum seges oblata fuit, quàm ullis in annalibus memoratur. Quod si cui dubium videatur, is incumbat in evolutionem *Matth. cap. IV, 27. & VIII, 16. IX, 33. XII, 22. XV, 28. XVII, 18. Marc. I, 28. Luc. IV, 35. cap. VIII, 2. IX, 42. XI, 14. XIII, 32. &c.* Nec ratio diu inquisitioni erit, si cogitaverimus, suggerendam fuisse CHRISTO occasionem, patefaciendi subinde illustrioribus radiis, quàm in secreto ὡς Ἰησοῦ τὸ πολὺ, sub vilibus & abjectis carnis nostræ exuviis, tenebat, divinitatem.

§. 4. Eâdem verò potestate, miraculosâ planè ac infinitâ, CHRISTUS deinde Apostolos suos, cum septuaginta discipulis reliquis, quibus Evangelii præconium injunxit, armatos dimisit, *Luc. IX, 1. Convocatis JESUS duodecim discipulis suis, dedit illis virtutem & potestatem super omnia demonia. Quam feliciter exercuisse perhibentur Luc. X, 17. Forma indigitatur Act. XVI, 18. Præcipio tibi in nomine JESU CHRISTI, exeat ab eâ.*

§. 5. Quinimò ita frequens, in prima Ecclesiæ exorientis ætate, donum hoc fuit vel torquendi, vel è corpore humano expellendi, vel compefcendi diabolum, ut peculiare officium *Exorcistæ* gesferint, teste *Tertulliano & Cypriano*, cum primis *Justino Martyre in Apolog. lib. 4. cap. 26.* Et *Augustino de civit. Dei lib. 12 cap. 22. Justini* scilicet, contra *Tryphonem*, pro causâ Christianorum asserendâ, hæc sunt verba: *Et nunc nos credentes in crucifixum sub Pontio Pilato JESUM, DOMINUM nostrum, omnia demonia, & spiritus malos exor-*

cisantes, subjectos nobis habemus. Augustini verò illa: Verà pietate homines DEI, aëream potestatem inimicam, contrariamq; pietati, exorcizando ejiciunt.

§. 6. Seculo 6. h. e. tempore Chrysostomi & Prosperi, obsessi in templa adducebantur, & communibus Ecclesiae precibus, liberationem ab hoc tanto malo impetrabant.

§. 7. Hodie licet donum isthoc ferè exoleverit, ἀξιόμνημόνευτον tamen, quod Christophorus Angelus refert, tanquam testis αὐτόπης in lib. de statu & ritibus Ecclesiae Graecae, quem latinà civitate donatum publici juris non ita pridem fecit, admodum Reverendus Dn. Georgius Fbelavius, Ecclesiastes Dantiscanus cap. 49. Christianus quidam in pago aliquo Graeciae à demonio correptus direxabatur. Hominis hujus consanguineis tentatum hunc in monasterium vicinum deducunt. Monasterii Sacerdotes in ipso templo prope sacrum bema, ubi scilicet sacra peraguntur, catenis ferreis energumenum hunc magna alicui & immobili columna alligant, ipsiq; vestibus sacris ornati, in conspectu Daemoniaci stantes, quatuor Evangelia per sex horarum intervalla legunt: lethioni autem huic praemissum est jejunium, b. e. in vespera diei praecedentis non coenarunt, & presente hac die, nec prandent, nec coenant, sequenti die solum coenaturi, idq; ideò, quia sacra Evangelia presenti uti & subsequo die, non nisi jejuni debent legere, secundum verbum Domini Matth. XVII, 21. Hoc genus non expellitur nisi per preces & jejunia. Postridie verò & ceteri jejunant Sacerdotes, ut à meridie restantes Evangeliorum partes die sequenti, ut & tertià legere possint. Vix enim vel die tertià quatuor Evangelia legendo pervolvere queunt. Ego verò rei eventum spectaturus, unà cum illis adstabam. Insanià autem correptus ille homo interrim vociferabatur, maledicta multifariam & in DEUM & in hominem jaciens, quae nec egomet ipse, ne DEUM accusare videar, proferre audeo. Os verò ejus distortum, magnopere distentum & ter-rificum reddebatur, ita ut me ipsum in fugam conjiceret. Sacerdo-

tes.

res interea legunt Evangelium, nihil quicquam respondentes, quoad omnia quatuor ad finem percurrantur, quilibet eorum partem aliquam, ita ut altero legente adhuc, alius iam adsit, docentq; ex ore prioris quasi excipiat rapiatq;: ac tum demum primus Sacerdos secedit, & sic consequenter. Absolutis verò quatuor illis Evangelis, communi consilio simpliciore quendam Sacerdotem exorcismos magni Basilii legere jubent. Dæmoniacus autem sacerdotem contumeliosis afflicere: Sacerdos contra dæmones increpare, illisq; exitum imperare. Tandem tamen hominem exagitantes concutientesq;, deseruere mortuo quam vivo similiorem, quem ideo sacerdotes illico pane & aqua refecerunt, ita, ut cibo sumpto, in domum suam se recipere potuerit.

§. 8. Supperunt verò etiamnum passim ejectionis, & liberationis spiritualis, exempla quotidiana. Quotiescunque enim è potestate tenebrarum homines erepti, in regnum Filii DEI transferuntur, Coloss. I, 14. Immundi spiritus, qui in filiis inobedientiæ se efficaces præstant, sedibus suis eiciuntur. Id quod potissimum fit in Baptismo, tanquam lavacro regenerationis & renovationis per Spiritum S. traducente hominem è statu iræ in statum gratiæ. Ac veluti olim quibusdam id muneris speciatim, demandabatur, ut exorcismis & exsufflationibus baptismo catechumenos præpararent, de quibus Nazianzenus inquit in oratione de S. Baptismatis lavacro: Ne agrè feras exorcismi culturam longiorem, neque ob illius prolixitatem defatigeris. conf. lib. de Ecclesiasticis dogmatib. cap. 51. Sic pridem quoque baptismo connecti cæpit Exorcismus noster  $\tau\epsilon\omicron\mu\omicron\varsigma$  &  $\alpha\mu\mu\alpha\upsilon\lambda\iota\omicron\varsigma$ , ad divinam hujus efficaciam adumbrandam, clariusq; ob oculos ponendam. De hoc nimirum Cypriani vox est: Cum ad aquam salutarem, atque ad Baptismi sanctificationem venitur, scire debe. & fidere, quia illic Diabolus opprimitur, & homo dicatus divina indulgentia liberatur. Rursus:

A 3

Manj.

Manifestum est, diabolum in baptismo fide credentis excludi, si fides defecerit, postmodum regredi. Conferat. Ambros. lib. 1. de sacram. cap. 5. August. lib. II. de peccat. meritis. cap. 34. Cyrillus Cateches. 1. Optatus Milevitanus contra Parmenianum lib. 4. Isidorus lib. 2. de officio Ecclesiast. cap. 20. Leo serm. 2do. de quadrag. Gregorius Magnus homil. 19. in Evangelistas. Beda in cap. 16. Marci. Ut abs re Wendelinus Exerc. 90. §. 5. Exorcismum Lutheranum detestetur ceremoniam novam, quasi heri demum aut nudius tertius natam.

§. 9. Cæterum primi fuerunt Montanista, qui spiritualem efficaciam & ἐνεργειαν Exorcismo Baptismo tribuerunt, si Cypriano iterum credimus & Tertulliano. Cui sententiæ licet dicam ἐπεποδοξίας Catholici statim scripserint, fieri tamen non potuisse, quin plurimorum animis penitus incederit, quàm ut radicitus facile evelleretur, argumento sunt rhetoricationes veterum, quibus ad extollendam in majus exorcismi vim non σημαντικὴν sacri beneficii, sed ἐνεργητικὴν, plus justo multoties indulgent: dum expelli per Exorcismum spiritum immundum à baptizandis, ut ejus vinculis exsoluti, in gloriosam libertatem filiorum DEI prius asserantur, quàm lustrico illo potiantur lavacro, contendunt; regenerationem non modò inter Baptismum, ritum divinitus institutum, & Exorcismum, ceremoniam merè humanam, perperam partientes, verùm vix aliquid divini operis Baptismo relinquentes. Quomodo pari necessitate ad integritatem & efficaciam sacramentorum, ritus divinitus mandatos, & ab hominibus inventos, requisivit Cyprianus ipse. Nec aliam ob causam Cornelius, Episcopus Romanus, baptismi efficaciam salutarem in Novato negavit, quàm quod ceremoniæ omnes, Baptismum partim præcedentes, partim subsequentes non fuerint plenè obser-



observatae: utut à normâ institutionis Dominicæ ne la-  
tum quidem unguem ab itio facta esset.

§. 10. *Romanensium* hodiernorum, errori errorem ad-  
dentium, expositurus sententiam *Franciscus Toletus* lib. 2. de  
instruēt. sacerdot. cap. 23. ita profatur: *Exorcismus est ad-  
juratio & increpatio quædam maligni spiritus. Arcetur enim & ex-  
pellitur potestas demonis, impediens salutem spiritualem baptizandi,  
in quo sunt tres ceremonia: Prima est exsufflatio, quâ expulsio dæ-  
monis significatur, cum manûs impositione & signo crucis, ad præ-  
cludendam viam demoni, ne ingrediatur. 2. Est salis in ore im-  
missio, ad denotandam sapientiam, quâ opera Christiana debent esse  
condita. 3. Est saliva, digito auribus & naribus apposita, ad de-  
notandam apertionem sensuum spiritualium. Confer. Compend.  
Theol. veritatis lib. 6. cap. 10. Gregorius de Valentia disput. 4.  
quæst. 6. de ritu Baptismi part. 2. tom 4.*

§. 11. Istâ verò cum superstitione nihil nostratibus  
intercedit commercii, adhibentibus ante Baptismum ex-  
orcismum, partim merè *σημαντικὸν* ejectionis diaboli, &  
translationis in statum gratiæ, à baptismo expectandæ,  
partim *παρανελικὸν* antegressæ miseriæ: quasi hunc in mo-  
dum plebem affaretur verbi Divini minister: Attulistis,  
amicissimi, infantem religionis Christianæ mysteriis ini-  
tandum, h. e. S. Baptismatis interventu, Ecclesiæ con-  
fortio aggregandum. Ante omnia igitur quo loco res  
ejus in præsentia adhuc versentur, altiori animo recolligi-  
te. Is nimirum antiqui fermenti, vel congenitæ labis &  
tabis fructus est, ut extorem illum regno CHRISTI  
*ἀπηλωτοῦ μένον τῆς ζωῆς τῆς θεῶν, & τῆς πολιτείας τῆς ἰσραήλ, ξένον τῶν  
ἀγγελικῶν τῆς ἐπαγγελίας καὶ ἁθροῦν ἐν τῷ κόσμῳ. Ερβ. II, 13. &  
IV, 18.* Ideoq; tyrannidi satanicæ obnoxium reddide-  
rit, cujus jugum suis ipsius viribus nunquam excutiet.  
Rectè verò & ordine fecistis, quod infantem hunc addu-  
xeritis

peritis CHRISTO, inexhausto salutis fonti, è quo ha-  
rimus gratiam pro gratiâ, *Job: I.* quemq; impia tremunt,  
tartara, *ικέτην καὶ μεσίτην* nostrum, autoremq; S. baptismi,  
quem ideò suscepit ipse, ut in illo sanctitatem suam, nobis  
postea applicandam, deponendo, omnem justitiam DEI  
impleret. Quamobrem Baptismus magnifico elogio ce-  
lebratur lavacrum aquæ in verbo, eò tendens, ut munde-  
tur Ecclesia, & exhibeatur gloriosa, non habens macu-  
lam aut rugam *Epb. V, 27.* lavacrum *τῆς παλιγγενεσίας καὶ ἀνα-  
καινώσεως πνεύματι ἁγίῳ, &c. Tit. III, 5.* Quæ cum ha se,  
habeant, ego verbi divini minister, & Supremi Numinis  
interpres veluti quidam & internuncius, omnibus spon-  
sionum verbis assevero, jam jam futurum, ut universa  
diaboli potestas, quam hætenus in hunc Christianitatis  
candidatum, malo jure, malo more, exercuit, penitus ex-  
spiret. Imò continere me nequeo, quin eâ, quâ polleo,  
potestate divinâ, te, immunde spiritus, severè jubeam, res  
tuas tibi imposterum habeas, & abjectâ cunctatione ab  
hoc infante, mox salvatori suo solenni homagio se obstri-  
cturo, quàm longissimè recedas. Cujusmodi locationis  
ideam justo durior nemo judicabit, si meminerit, ipsius  
scripturæ phrasi, spiritum malignum non saltem ad homi-  
nes spiritualiter obsessos accedere, in cor ipsorum se insi-  
nuare, *Luc. VIII, 12.* hîc sedem suam figere, *Matth. XII, 45.*  
è palatio suo ne extrudatur, ad lasitudinem usque anni-  
ti, *Luc. XI, 21.* laqueis suis irretitos obsessos tenere *II. Tim.*  
*II, 26.* In filiis incredulitatis efficaciter operari, & ad arbi-  
trium eos agitare, *Epb. II, 1. 2. 3.* verùm etiam ab homine,  
qui potestati ejus eximitur, exire, *Matth. XII, 43.*

**T**alis Exorcismus cum ad adiaphora spectet, in gratiam Calvinianorum perperam abrogaretur.

§. 1. Status controversiæ, excludit prorsus disputatione hac Exorcismum Pontificium, cui variis superstitionum nugamentis magica quædam vis cæodæmonem profligandi affingitur. Neque corporalis ulla obsessio, locum hîc invenit, ad quam solvendam in infante, adjurato diabolo opus sit. Extra controversiæ aleam collocatum insuper illud est: An pars substantialis baptismi, & sic absolutè necessarius sit, exorcismus baptismicus, ut in Ecclesiis Evangelicis, in quibus ritus iste jam antiquatus est, ipsum postliminiò reduci oporteat? Hoc autem κενόμενον est: An ad adiaphora referri mereatur: num v. res toto genere vitiosa, & per se damnabilis sit, Exorcismus sensu Lutherano usurpatus, h. e. cum ob finem, ut præmittatur quasi plenior expositio verborum baptismi, & pictura summæ tyrannidis Diabolicæ, cui subjacet à regno Christi adhuc dissociatus infans, nec non imago efficaciam hujus sacramenti, & pars confessionis ac testimonium libertatis Christianæ? Quem in sensum ad verba Cælestini Pontificis Romani Distinct. 4. de consecrat. decernentis omnes à baptisate arcendos, à quibus per adjurationes & exsufflationes diabolus non fuerit expulsus: ipsa glosa hanc adjicit ἐπιχειρῶν: hoc non esse simpliciter intelligendum, quia demon ante baptismum non ejiciatur, cum usq; ad tinctionem diaboli familia simus, & ejus membra, ut statuendum sit, diabolum exorcismo non ejici, sed ejiciendum significari.

§. 2. Abeunt itaque in auras, ob ἀγνοίαν & ἐλέγχον, è septem objectionibus Wend. Theol. Christ. lib. 1. c. 22. th. 16. tum numero prima: Ritus à CHRISTO non institutus,

B

non

*non est propugnandus. Exorcismus est ritus à CHRISTO non institutus. E. Exorc. non est propug. tum 2. Ritus ab Apostolis non usurpatus, non est propugnandus. Exorcismus est talis ritus. E. tum 3. Quicquid fidem requirit miraculorum, est abrogandum. Exorcismus fidem requirit miraculorum. E. tum. 4. Ceremonia vana, est abroganda. Exorcismus est cer. vana, quia caret effectu. E. tum 7. Ceremonia impia, est abroganda. Exorcismus Baptisticus est cerem. impia, quia conjungitur cum nominis divini abusu. E. Evanescit pariter illa, quam exercitatione 90. §. 7. addit: Quemcumque ritum improbavit Lutherus, merito est abrogandus à Lutheranis. Exorcismus est ritus talis, quem improbavit Lutherus. E. Min. prob. seq. Lutheri verbis de baptismo: Die ganze heilige Tauff bestehet eigentlich und vollkommenlich in diesen Worten: Ich tauffe dich im Nahmen des Vaters / und des Sohns / und des Heiligen Geistes. Das ander alles ist auß menschlicher Andacht darzu gethan / darunter viel dinges ist / das man bisz daher nicht gestraffet hat / und wird doch bald hernach gestrafft werden müssen: Alles was sonst (außgenommen die Tauff / Gebet und Vermahnung) zu dieser eigentlichen / vollkommenen / und genugsamen Form und Weiß zu tauffen / nach des HERRN Christi Einsetzung / von Menschen darzu gethan ist / als der Exorcismus, das soll man mit gebühlichem Fleiß erwegen und verbessern. Der Exorcismus ist gleich wie eine Verachtung des heiligen Ehestandes / &c. Corruit etiam paralogismus §. 7. Nenia Papistica, est abroganda. Exorcismus est nenia Papistica, judice Heerbrando in compend. p. 304. E.*

§. 3. Limitanda nimirum est syllogismorum duorum priorum Major, quæ prædicatum: Ritus à CHRISTO non institutus, non est propugnandus: Ritus ab Apostolis non usurpatus, non est propugnandus: sc. *tanquam absolutè necessarius.* Quomodo largimur totum. Cum non aliter causam agamus Exorcismi, quam ritus adiaphori,  
pro

pro quo venditari nequaquam posset, si vel mandati divini auctoritate, vel Apostolicâ praxi, ad illius observationem, ut inevitabiliter necessariam, obligaremur. Ullam verò ceremoniam mandato divino, aut Apostolicæ praxeos suffragio, destitutam si retinere nefas foret, quo jure inter connexa baptismi, Calviniani tolerarent abrenunciationem, & directas ad infantem baptizandum quæstiones, imò impositionem nominis, trinamq; adspersionem? De prioribus quidem duabus ceremoniis *Wendelinus* scribit §. 7. *Per me si staret, ad primam simplicitatem revocarem administrationem baptismi, resectis omnibus ceremoniis non Apostolicis, imprimis verò abrenunciatione, & toto illo interrogationum ad infantem directarū actū.* Num verò idem censebunt vel de impositione nominis, vel de trinâ adspersione, *Wendelini* sectatores?

§. 4. Instat *Wendelinus* §. 5. *Quicquid nititur divino mandato, non est referendum ad adiaphora. Exorcismus, juxta Lutheranos, nititur divino mandato. E. Exorcis. jux. Luth. non est refer. ad adiaph.* Minor probat. verbis *Justi Menii* in libello de Exorcismo olim *Witebergæ* Anno 1551. excuso, quibus asseritur: *Exorcismum esse seriam precationem, niti divino mandato & promissione, diabolo esse formidabilem, esse divinum opus, idq; DEI jussu & potestate data peragi ab Ecclesia, adeoq; graviter peccare, qui repudiat.* Resp. per distinct. inter mandatum divinum generale, & speciale. De hoc valet *Maj.* sic a. fallit *Minor.* *Generali* sanè mandato *I. Cor. XIV, 12. 27. & 40. πέντα ἑσὶς τὸ ὄνομα κυρίου ἐν χημόρωσι, καὶ ἐπὶ τὰ ζῶα γενέσθω:* *Com-* mendante ceremonias singulas, quibus rudis & imperita auditorum plebecula, in pietatis cognitione ac praxi, promoveatur & informetur, Exorcismum quoque contineri Baptisticum, insignis illius usus abundè ostendit; *Speciale* a. mandatum DEI, quo *Exorcismus* hic ἀλατρήθη efflagitetur, ut jactaret, cui *Lutherano* id unquã vel per febrim in mentem venit?

§. 5. In objectione tertiâ distingvendum inter Exorcismum *spiritualem, & corporalem.* De posteriori loquitur Minor, atque sic iterum conced. tot. utpote qui Exorcismi saltem spiritualis patrocinium suscepimus.

§. 6. In Syllogismis cæteris, Minor valet de Exorcismo *Papistico*, qui peculiari quadam *δυνάμει* diabolum eji-  
*σημαίνον* ciendi præditus putatur, cum juxta nos nudum *σημαίνον* hujus ejectionis suppeditet.

§. 7. Instantia *Wendelini* Theol. Christ. p. 505. *Non quavis ceremonia ex hominum arbitrio conficta, vel alio etiam sine olim usurpata, baptismo est assuenda: sed ad CHRISTI institutionem, & Apostolorum exemplum nobis est respiciendum; ut & Exerc. 90. §5. Divina gratia signa nova in Ecclesiam indebere, & sacramentis assuere, pro hominum arbitrio, nefas est: nullius existit momenti. Novum certè gratiæ divinæ signum *ἀναμνησκόν* altare erat tum à *Mose* extractum, *Exod. XVII, 15.* tum à *Gideone*, *Judic. VI, 24.* tum à *Rubenitis*, *Gaditis*, & dimidia tribu *Manasse*, *Josue XXII, 10.* neque tamen vel hunc, vel istum, vel illum laborem usquam scriptura damnavit.*

§. 8. Stabilimus contra *ὀρθοδοξίαν* nostram, hoc Syllogismo: *Quicumque ritus nullo mandato divino est prohibitus, facit autem ad adificationem Ecclesie, is rectè usurpatur & retinetur.* Exorcismus *baptisticus*, sensu *Lutherano* intellectus, est ritus nullo mandato divino prohibitus, facit autem ad adific. Eccles. E. Exorc. baptist. sensu *Luth. intell. rectè usurp. & retin.* Maj. patet ex oraculo jamjam citato *I. Cor. XIV, 12.* Minor probatur, quia non tantùm *ὄν ἀναδόχως* commonefacit, de ingenti abysso miseriæ, in quam infantem connata peccati originalis labes conjecit, exclusum regno *DEI*, & expositum potestati *Satanæ*: simulq; ipsis status prisci, in quo ante regenerationem mysticam æquè hæserunt, memoriam refricat, ut pro hoc tanto beneficio devotâ gratia.

gratiarum actione DEUM venerentur: verum etiam calcar iisdem supponit, ad prosequendam factam spon-  
sionem & fidei iuramentum, infantis loco praestitam, de serio  
proposito renunciandi diabolo, desiderioque recipiendi  
baptismi, ac ejusdem fructus.

§. 7. Reliqua duo argumenta, quibus plerosque pu-  
gnare, pro retinendo Exorcismo, *Wendelinus* asserit *Theol.*  
*Christ.* lib. I. cap. 22. p. 504. *Exorcismus* viguit temporibus *A-*  
*postolorum, & ab iis est usurpatus. E. Et jam usurpari debet. Item:*  
*Infantes à diabolo spiritualiter sunt obsessi, b. e. detinentur captivi*  
*in regno tenebrarum, sub peccato. E. ut inde liberentur, Exorcismus*  
*est adhibendus: quia superstitionem redolent Papisticam,*  
*& ex falsa fluunt hypothesi: ac si ἀπὸ λῶς, necessarius Exor-*  
*cismus foret, tanquam pars baptismi essentialis, nec signi-*  
*ficaret tantum liberationem infantis à potestate tenebra-*  
*rum, sed etiam efficeret: 2. Confundunt Exorcismum*  
*corporalem cum spirituali: nostra non facimus. Ac proin-*  
*de de invicto solutionum robore, adversus *Lutheranos,**  
*veluti *Herculeam* quadam clavam, ita ad incitas redactos, ut*  
*ne hiscere quidem audeant, ἰχθύων ἀφωρότεροι, *Wendel.* fru-*  
*stra gloriatur *Exerc.* 90. §. 10. Argumenta, inquit, pro ex-*  
*orcismo militantis solvi, solutiones meas non attingunt animadi-*  
*versores.*

### III.

**E**tsi non obsideantur à Diabolo corporaliter, ante  
regenerationem, Christianorum infantes, subja-  
cent tamen ejus potestati spirituali.

§. I. Colligunt vulgò Calviniani: *Ubicunque diabolus non*  
*est, inde frustra jubetur emigrare. In infant. *Christ.* diabolus non est. E.*  
*Et *Wendelino* *Th. *Christ.** p. 504. hoc §. est argumentum:*  
*Cerem. ludicra est abroganda. Exor. est cerem. ludicra, quia Exorcista*

B. 3.

collo-

colloquuntur cum Satana, de cuius presentia ipsis non constat. E. Resp. ad Syllog. priorem, per limitationem Majoris: Ubicumque Diabolus non est, sc. neque per corporalem obsessionem, neque per imperium spirituale, inde frustra jubetur emigrare. Sic falsa Minor. Audiamus Davidem, ex piis certe parentibus ortum ducentem, & nihilominus confitentem in iniquitate se formatum, & in peccatis a matre conceptum, Ps. LI, 7. ad adumbrandam, sub persona unius, universalem omnium hominum conditionem. Audiamus Christum Joh. III. solenni disputatione nativitatem carnalem, ut immundam, damnantem, & nisi per aquam & spiritum fiat regeneratio, aditu regni coelestis omnes prohiberi affirmantem: cum non possit non comprehendi regno diaboli, qui nondum regni & civitatis coelestis jure gaudet: omnisque anima vel CHRISTI sponsa sit, vel diaboli adultera, nullo interveniente tertio. Audiamus Paulum, omnes *ὅσα τέκνα τῆς ἁρμῆς*, h. e. judicio DEI irati, reos aeternae mortis, interpretare Beza, proclamantem Eph. II, 3. Et quotquot de regno CHRISTI sunt, eo translato per CHRISTUM, Coloss. I. 13. Siquidem nulli liberatio, aut translatio in regnum CHRISTI, obtingit, nisi qui prius sub potestate tenebrarum, seu regno diaboli, fuit, ut ibidem docetur. Unde simul manifesta evadit falsitas Minoris, in argumento posteriori Wendelini, ad quod responsum ab alio, ut Wendelinus ait §. 9. Rectissime: Omnino constare de presentia Satanae: Siquidem Satanas adsit obsessione spirituali iis, qui nondum sunt baptizati, & adhuc sub ira.

§. 2. Instat Wendel. Omnesne E. infantes ante baptismum spiritualiter a Diabolo sunt obsessi? Non credunt hoc Lutherani, qui omnes Christianorum infantes, ante baptismum credere, sibi persuadent, & non baptizant nisi fideri per evadentes professos. Syllogisticè agamus: N. credentes sunt spiritualiter obsessi. O. infantes

tes



tes Christianorū nondum baptizati, juxta Luth sunt credent. E. Resp. per infic. Min. Tribuunt quidem Lutherani infantibus fidem, in baptismi actu: illam verò si ad baptismum afferri, non è baptismo auferri statuerent, quo pacto baptismum pro ordinario regenerationis organo, ex parte infantum, haberent? Nec professio fidei à susceptoribus, loco infantis, edita, quicquam probat amplius, quàm eadem fide, cujus ἐξομολόγησις baptismum antecedit, infantem per baptismum jam jam donatum iri, uti juxta πολυθρύλλητον: Cingendus habetur pro cincto: Et post baptismum, illius mysteriis uberius imbuendum recipi.

§. 3. Sed pergit *Wendel*: *Spiritualis obsessio in infantibus irrogenitis non est nisi corruptio natura, quam ab ipso trahunt ortu, etiam intra viscera parentum fidelium: quæ tamen propinquitatem substantialem diaboli apud infantes non infert.* Syllogismus iterum erit: *Corruptio natura ab ipso tracta ortu, non infert propinquitatem substantialem diaboli. Obsessio spiritualis in infantibus irrogenitis, est corruptio natura ab ipso tracta ortu. E. Obs. spirit. non inf. propinq. subst. diaboli.* Resp. bifariam 1. ad Min. per infic. Obsessio enim spiritualis, non minus consequens est congenitæ corruptionis, ac translatio in regnum Christi, sequitur regenerationem, & per hanc ipsam peragitur. 2. Ad conclus. redire ἀγνοίαν & ἐλέγχον, cum probari debuisset, per spirituales obsessionem, infantes irrogenitos prorsus relinqui immunes ab omni imperio, & potestate diaboli, per se tantam nobis imposturam struentis, ut nunquam non omni re sensibili & tactili propius, licet invisibiliter, nos attingat: si ludicram prorsus compellationem ejus & alloquium, ante baptismū, statui oporteret.

§. 4. Notum quidem, quantopere *Calviniani* corruptionem naturæ, per peccatum originis contractam, extenuent, dum ante baptismum & regenerationem, infantibus

bus

bus Christianorum non *externam* modò sanctitatem, & *Ec-  
clesiasticam*, cujus participem reddit etiam conjux fidelis  
infidelem: sed *fœderalem* illis insuper assignant. At ne-  
que ignota contraria scripturæ, nos *Φύσι* simpli-  
citer *τίκνα τῆς ὀργῆς* vocantis *Eph. II, 4.*

§. 5. *Wendelinus* dum exerc. 37. §. 7. Distinctionis,  
inter sanctitatem *fœderalem*, & *regenerationis*, firmamentum  
& patrocinium quærit in Oraculo *Deuter. XVII, 7.* Ego ero  
*DEUS tuus & seminis tui post te*; perperam *promissionem divini*  
*fœderis* cum *applicatione* confundit. Illa quidem tantâ gau-  
det latitudine, ut ad fidelium quoque liberos se ex-  
tendat, & quidem promiscuè omnes, non illos tantum,  
quos pro absoluto beneplaciti decreto electos *Wendelinus*  
fingit: Hæc verò *ordinariè* à sacramento initiationis de-  
pendet, quale fuit in T. V. circumcisio, in Novo est ba-  
ptismus. Est enim *promissio divina* non absoluta, ut e-  
jus fructus ad posteros Abrahami, quocunque modo se  
gerant, sive pactum divinum observent, sive transgredi-  
antur, pertinere debeat; sed certâ conditione obedien-  
tiæ, & observationis pacti, restricta & determinata. *Tu*  
*ergò*, inquit *JEHOVAH*, *custodies pactum meum, & semen tuum*,  
*post te, in generationibus suis.* Hoc est autem *pactum meum*: *Cir-  
cumcidetur è vobis omne masculum, &c.* Proinde licet eam præ-  
rogativam, quæ largitur, hæreditario jure natiuitatis, pro-  
piores aditum ad regnum DEI, & fœdus gratiæ, fidelium  
liberis haud ademptam cupiamus: ipsâ tamen fœderis  
participatione, & gratiæ coelestis fruitione, olim posteros  
Abrahami circumcisio demum beabat. Unde animæ ma-  
sculi, cujus circumcisio die octavo neglecta esset, extir-  
patio è populo DEI denunciatur *Gen. XVII, 14.*

§. 6. Frustra *Wend.* excipit: *Sacramenta per se non fa-  
cere fœderatos, sed receptionem in fœdus testari & obsignare.* Syl-  
logi-

logismus nascetur ex iis, quæ adjiciuntur, talis: *Quicquid usum Sacramentorum jam antecedit, jam sequitur, id per Sacramenta non confertur.* Applicatio, & actualis fruitio promissa gratiæ cœlestis, & internæ, usum sacramentorum jam antecedit, jam sequitur. E. per sacram. non confertur. Min. prob. tum exemplo *Abrahami*, cujus fidem circumcisio, tanquam sigillum, obsignabat, *Rom. IV, 11.* nec non *Eunuchi*, baptizati à *Philippo Act. VIII, 36.* tum praxi Ecclesiarum nostrarum, fidem infantis baptizandi præsupponentium, quando patrini, loco infantis, se credere affirmant. Resp. etenim per limit. Maj. ex parte prædicati: Quicq. us. sacr. jam antec. jam seq. id non per sacr. confert. sc. *tanquam per unicum & adequatum medium.* Sic conc. tot. Adultis quippe sacramenta non conferunt fidē: sed jam ante collatam, ex auditu verbi, saltem confirmant. Alia verò est ratio infantum, in quibus hodie fides, non nisi per lavacrum regenerationis & renovationis in Spiritu Sancto, *ordinario modo*, accenditur *Eph. V, 26.* *Ordinario*, inquam, ne objicitur exemplum *Job. Baptiste*, in utero materno Spiritu S. impleti, prorsus *extraordinarium.* Nec patrini respondent de fide infantis præsentē, sed per baptismum jam jam conferendā, & educatione solerti impoſterum plenius explicandā.

#### IV.

**N**e utiquam caret præcepto, & promisso divino generali, imperium ministri baptizantis, quod in diabolum usurpat.

§. 1. Argumentum 6. *Wendelini* est: *Ceremonia mendax est obroganda. Exorcismus est ceremonia mendax. E. est obrogandus.* Min. prob. quia arrogant sibi exorcista imperium in demonem, quod tamen non habent, & falso traducunt infantes Christiano-

C

stiano-

*stianorum, quasi à diabolo sint obsessi, cum tamen diabolus sepe plus  
 habeat juris in Exorcistam, quàm in infantem baptizandum. Resp.  
 infic. Min. Si nihil imperii competeret verbi divini mini-  
 stro in cacodæmonem, quo jure conferret baptismum? Hic enim medium illud est, per quod infans in regnum  
 Christi, & ad consortium sanctorum lucis traducitur, & è  
 potestate tenebrarū eripitur. Col. I. Bellè Greg. Nazanzen.  
 in Orat. de S. baptis. Exiit à te impurus ille & sordidus spiri-  
 tus, baptismo pulsus. Nec non Augustinus lib. I. de peccator.  
 meritis cap. 34. Quid de ipsâ formâ sacramenti loquar? vel-  
 lem aliquis istorum, qui contraria sapiunt, mihi baptizandum par-  
 vulum afferret, quid in illo agit exorcismus meus, si in familia dia-  
 boli non tenetur? Ipse certè mihi fuerat responsurus pro eodem par-  
 vulo, quem gestaret, quia ille pro se respondere non posset: quomo-  
 do igitur dicturus erat, eum renuciare diabolo, cujus in eo nihil esset?  
 Gravissimè B. Chemnitius Loc. comm. tom. 3. de Baptism.  
 th. 4. Scimus sanè, infantes, DEI beneficio, non esse corporaliter  
 obsessos. Scimus autem vicissim ex verbo DEI, multò tristius & pe-  
 riculosius esse, quod propter peccatum regno cælorum extorres, spiri-  
 tualiter captivi detinentur sub regno & potestate tenebrarum, unde  
 nullius creaturæ potentiâ eripi possunt.*

V.

**U***nus authoris sententia privata, nil præjudicat  
 doctrinæ communi totius Ecclesiæ.*

§. I. Gratis igitur toties *Wendelinus* supra modum tri-  
 umphat autoritate *B. Hunnii*, exorcismum ἀπλῶς impro-  
 bantis. Nec possum quin adjiciam, quæ jam pridem ad  
 objectionem hanc reposuit *B. Dn. Hoë* in der Antwort auff  
 eines ungenendten Calvinisten Aufsfoderung p. 153. Und ist  
 zwar nicht zu leugnen / daß *D. Hunnius* Sake für sich verfasset  
 von dem Exorcismo, zwey ganker Jahr zuvor / ehe dann er in  
 G.D.

Es ist selig verschieden. In denselbigen *discurrit* er vom Exorcismo, und stimmt dahin / daß man denselben ordentlicher Weiß abschaffen möge: Fürnemlich zu dem Ende / damit von den Calvinisten nicht mehr deswegen solche Unruhe gestiftet und angerichtet werde. Was er für *Occasion* darzu gehabt / ist mir und andern ehrlichen Leuten unverborgen. Es war im Jahr 1602. eine *Visitation* der Universitäten und Consistorien im ganken Lande angestellet / bey welcher zugleich unter den Theologen *deliberiret* und *berahtschlaget* wurde / was etwan in den Universitāt / Schulen und Kirchen Ordnungen zu erinnern / das entweder füglich anzuordnen oder zu endern were? Da hat nun D. Hunnius, so viel den *Exorcismum* antrifft / seine Gedanken zu Papier gebracht / nicht daß er öffentlich darvon *disputiren*, nicht daß er der Calvinisten schändliches lästern und wüten wider den *Exorcismum* billigen / nicht daß er den *Exorcismum* für sich selbst / vor eine teuflische oder schädliche Ceremoni außrufen / noch weniger / daß er solche *Theses* in Druck kommen lassen / sie *mordicus* vertreten / und sich von unsern Theologen in diesem Punct öffentlich trennen und absondern wolte. Dergleichen ist ihm niemahlen in Sinn kommen: Sondern zu dem Ende / wann ja etwa unter den Theologen diese *materia* auch in *Berahtschlagung* gezogen würde / daß er dieselbe *in hunc eventum*, und auff diesen begebenden Fall / allbereit *resolviret* / und in *Vorraht* hätte / ob hernach ihnen gefiele / daß sie solche *Theses* durchsehen / *pro & contra* darvon reden / und einer endlichen Meynung sich hierüber vergleichen theten. Sic verisimè ait B. Gerbardus in collegio Antiwendeliniano; *quod pro Exorcismo, tanquam pro aris & focus, non pugnent Lutherani, sed ut rem indifferentem retineant, quæ quidem abrogari posset, modò cautè agatur, & occasio scandali non detur, idq; auctoritate Magistratus: Attamen in gratiam adversariorum non sit abroganda, ne libertas Christiana prostituatur.* Quibuscum verbis in eandem sententiam.

concurrunt, quæ è *Cbemnitio* part. 3. loc. com. de baptis-  
m. th. 4. *Wendelinus* citat sub exercit. 90. calcem: *Habet Ec-*  
*clesia libertatem, ut doctrinam illam de peccato originis, de potestate*  
*& regno Satbana, & de baptismi efficaciam, aliis verbis scriptura ma-*  
*gis consentaneis proponat & explicet.* Ut verò ὀφθαλμοφανῶς  
pateat, quàm ineptè *Wendelinus* ad *Cbemnitium* hîc provo-  
cet, suaq; vincula cædat, erit operæ pretium, integrum ad-  
scribere contextum, ita sonantem: *Qui exorcismum omit-*  
*tunt vel rejiciunt eâ opinione, & propter illam causam, sicut Anaba-*  
*ptista & Sacramentarii, quod existiment, infantes vel non habere*  
*peccata, atque ideò non esse naturâ filios ira, nec sub potestate Sa-*  
*tbana, vel licet in peccatis nati sint, tamen propter carnalem ex fi-*  
*delibus parentibus nativitatem, etiam ante baptismum, & sine ba-*  
*ptismo, non esse extra regnum cælorum, nec sub potestate tenebra-*  
*rum: Illi meritò sunt taxandi & improbandi, eò quod peccatum*  
*originis & stipendium ejus, atque etiam efficaciam baptismi negent:*  
*quasi infantes per baptismum non eripiantur ex potestate Satbana. Si*  
*verò hac doctrina de peccat. orig. de potestate & regno Satbana, &*  
*de efficaciam baptismi, plana confessione concedatur, substantia, inte-*  
*gritas, & efficaciam baptismi non est alligata ad prescriptum illū ritum*  
*verborum Exorcismi, sed Ecclesia habet libertatem ut doctrinam, il-*  
*lam, &c. Ut autem aliqua de his doctrina capitibus commonefactio in*  
*actione baptismi, sive per Exorcismum, sive aliis verbis fiat, &*  
*propter Sacramentariorum corruptelas, & propter obstantes utile est.*

§. 2. *Odium veritatis, & Orthodoxa Ecclesia, tantum esse*  
*apud plerosque nostratum, ut, sub prætextu libertatis Christiana*  
*asserenda, servitutem hanc foveant, malintq; Apostolicam à bap-  
tismo exulare simplicitatem, quam deformem hanc ab eo refecari stru-*  
*mam, frivola est calumnia Wendelini §. 6. Etsi enim odium,*  
*quo hæresin quamvis, & quoscunque hæreticos, ut tales,*  
*prosequimur, ad exemplum Davidis Ps. CXXXIX, 21. Odi*  
*DOMINE eos, qui oderunt te, & odi illos perfecto odio; justissima*  
*sit: tamen causam genuinam, cur abrogatum nolimus Ex-*  
*orcif-*

circumcisionem, in gratiam Calvinianorum, exprimit Aposto-  
 lus Galat. II, 3. 4. 11. 12. 13. & V, 1. & 2. Unde sic concludi-  
 mus 1. In quorumcunque gratiam Paulus noluit circumcidi Titum,  
 illis neque nos gratificari, ullius ritus adiaphori vel receptione, vel  
 abrogatione, debemus. In gratiam falsorum fratrum, sive adver-  
 sariorum, Paulus noluit circumcidi Titum. E. illis neque nos gratif.  
 ull. rit. adiaph. vel recep. vel abrog. debemus. Maj. prob. quia  
 in primitiva Ecclesia etiam circumcisio, ad adiaphora  
 spectabat I. Cor. VII, 19. Circumcisio nihil est, & praeputium ni-  
 hil est: sed observatio mandatorum DEI: adeoque per se pot-  
 erat, ut res superflua, & quo animo tolerari. Minor constat  
 esse textu. Sed neque Titus cum esset gentilis, compulsus est circum-  
 cidi: propter subintroductos falsos fratres, qui subintroverunt  
 explorare libertatem nostram, quam habemus in CHRISTO JESU,  
 ut nos in servitutem redigerent. Quibus nec ad horam cessimus.  
 Unde simul emergit 2dum Argumentum. Quibuscunque  
 Paulus ne quidem ad momentum cedere voluit, iis neque nos cedere  
 debemus. Falsis fratribus Paulus ne quid. ad momen. ced. voluit. E.  
 Ratio. Maj. est, ut veritas Evangelii apud nos permaneat. Ac-  
 cedit 3. Quicquid Paulus reprehendit in Petro, id minime est imi-  
 tandum. Langvorem tuendi libertatem Christianam, circa res adia-  
 phoras, reprehendit Paulus in Petro. E. is minime est imitandus.  
 Imò & 4. Quicquid libertati Christianae est diametro repugnat,  
 nosque beneficiis per CHRISTUM partis orbat, nullatenus est appro-  
 bandum. Mutatio adiaphororum facta in adversariorum gratiam,  
 libertati Christianae est diametro repugnat. E.

VI.

**N**ecessaria est, vi mandati Divini, ἀποκλασία  
 Eucharistica, sive pro distributione ponatur,  
 sive pro comminutione, ratione temporis indetermi-  
 nata: libera v. & indifferens comminutio panis,  
 si ad ipsum precise sacramenti usum restringatur.

§. 1. Patrem familias olim, sub initium cænæ Paschalis, unum aliquem panem azymorum sumpsisse, & in duas divisisse partes, quarum alteram sub mappâ absconderit, alteram uti sacro, solenni hac benedictionis formulâ, destinavit: *Benedictus es Domine DEUS noster, Rex universi, qui educis panem de terrâ; vel istâ: Benedictus es Domine DEUS noster, Rex universi, in esu panis azymi;* tradita inter Judæos manat persuasio. Quo ritu Salvator, in institutione cænæ Dominicæ, panem fregerit, dictu probatuque difficile, imò ἀδύνατον. Singularem enim quempiam fuisse, argumento vel illud erit, quod ex fractione panis, veluti *ἑκ μνημῶ* quodam, à discipulis post resurrectionem fuerit agnitus. *Luc. XXIV, 35.* Variavit adhæc, in Ecclesiâ primitivâ, panem Eucharisticum frangendi modus. Græci olim cultros adhibuerunt, referente *Germano* Archi Episcopo Constantinopolitano Tom. 6. Biblioth. patrum. Alii panem integrum, alii partem ejus abscissam, seu sectam, proposuerunt: alii itidem unum, alii plures, vid. *Honorius Augustodunensis* Lib. 1. de gemna animæ cap. 29. *Christoph. Angelus*, in lib. de statu & ritib. Eccl. Græcæ cap. 14. ita scribit: *Sacerdos exiguam lanceolam, quæ figuram illius lanceæ, qua milites Christum vulneraverunt, exhibet, in promptu habet, eaq; admota quadratam portiunculam è superficie panis verba hæc continentis: JESUS CHRISTUS vincit; in memoriam nati è Maria Virgine Christi, abscindit, ex eoq; Eucharistiam adornat. Confectâ Eucharistiâ, dividit sacerdos, aut Hierodiaton, reliquam panis partem majorem in minuta frusta, & ea omnibus, tum qui de corpore Christi participarunt, tum qui die illa jejuniis vacarunt, b.e. qui nec os ulli esca, nec manus operi ulli admove, distribuit.*

§. 2. Quo tempore panes minores, quos *nummularios* *Gregorius Magnus* appellat, introducti sint, indubitato quidem demonstrari nequit. Sunt enim qui eosdem ad  
*Alexan-*



*Alexandrum primum, & annum Christi 119. Sunt qui ad ætatem Phoca Imperatoris, & annum Christi 607. reducant. Epiphanius tamen jam suo tempore στρογγυλοειδῆ, teretem & rotundum panem, memorat in Ancorato. Gregorius Magnus, à formâ, oblationum coronas vocat, hostias salutares, siue panem sacrum. Et Chrysostomus in caput Matth. XXVI. Homil. 83. inquit: pertractare coronam communicantes. Ut abs re Hespianus monstroso transubstantiationis commento hostias nostras ancillari existimet, utpote quæ annihilationem illam, tanquam tenue aliquod & λευκάνης, facilius recipere & admittere credantur: Quamobrem etiam Honorio 3. Papâ autore seculo 13. Imago crucifixi hostiolis illis imprimi cæperit. Refutat enim figmentum hoc vel solus Petrus Lombardus, qui floruit sec. præcedente 12. Lib. 4. dist. 11. apertissima hac confessione; si queratur: Qualis sit illa conversio, an formalis, an substantiatis, an alterius generis? definire non sufficio: Cum jam ante aliquot annorum centurias panum orbicularium usus in Ecclesiâ viguisset.*

§. 3. Hodie nihilominus suam fractionem panis, ceu absolutè necessariam obtrudere Calviniani fatagunt, ut vel discrimen, quo ab epulis communibus *μυστήριον* hoc *φεικωδέστατον* distat, quantum in ipsis, labefactent; vel rigidiores exactores ceremoniarum accidentalium, quam rituum substantialium, se præstent; vel à veritate, ad umbras & figuras, incautiores abducant; vel laqueis conscientias irretiant simpliciorum, supersticiosâ singularum ceremoniarum observatione.

§. 4. Circa statum controversiæ, notatu dignum, ambiguè in scripturâ sumi, nec tantùm *comminutionem*, sed & *distributionem* designare, tum Hebræum verbum *סֵפֶר* Es. LVIII. 7. *וְיָבֹרֵךְ* Gen. XLI. tum græcum τὸ κλάειν Matth. XV. 36. Marc. VIII. 6. Act. II. 46. XX. 11. XXVII. 35. I. Cor.

**I. Cor. XI. 24.** **N**on quaeritur enim **I.** *An nullâ prorsus opus sit panis Eucharistici fractione, sive pro comminutione in particulas plures accipiatur, sive pro distributione inter communicantes?* Siquidem utramque Ecclesia Lutherana adhibet, priorem ante usum S. Coenæ, posteriorem in usu ipso: vel *An fractio panis Eucharistici, in usu S. coenæ, prorsus sit illicita? sed An absolute necessaria sit fractio panis Calvinistica, quâ, in usu demùm Eucharistia, panis comminuitur, & in manus communicantium collocatur?* Arridet sententia affirmativa Calvinianis, Nos in negativam descendimus.

§. 5. Huic stabiliendæ idoneum satis est pronunciatum *Gal. V. 1.* *In libertate, qua Christus nos liberavit, stete, & nolite iterum jugo servitutis alligari.* Quo Apostolus libertatem Christianam commendat, tanquam inæstimabilem thesaurum, eumq; integrum & inviolatum custodiri vult, ne ullo modo corrumpatur. Quod aliàs fit dupliciter, **1.** si res à DEO non prohibetæ, ἀπαλωσ, damnentur, ut Exorcismus Baptisticus. **2.** Si res deserto DEI mandato non præceptæ, tanquam absolute necessariæ, postulentur. Utroq; enim pacto servitutis compedes injiciuntur, grandi q; periculo libertas Christiana exponitur. Nimirum cum DEUS quædam in medio genere posita voluerit, & nulla vel edicti, vel interdicti lege adstricta, ad libertatis forum remiserit, ut iis, tanquam indifferentibus, liberè Ecclesia vel uti possit, vel non uti, religio sane nobis esse debet ulli humano jugo cervicem submittere, aut in gratiam falsorum Fratrum, sive apertorum, sive clamose ingerentium, ad explorandam libertatem nostram, ceremoniam ullam hætenus usitatam abrogando; aut inusitatam, tanquam simpliciter necessariam, recipiendo, & ita ipsius Orthodoxias jugulum gradatim petendi occasionem subministrando. Unde argumentamur; *Quicquid*

quid nulla lege divinâ fuit mandatum, id ut absolutè necessarium  
nec urgendum est, nec recipiendum. Ἀποκλασία Calvinistica nulla  
lege Divina fuit mandata. E. δεῖ. Calv. ut abs. necess. nec urg.  
est, nec recipienda.

§. 5. Nil v. ad rhombum facit inter 4. Objectiones  
Wendelini, numero secunda, petita ab *Exemplo Apostolo-  
rum*, aliorumq; fidelium in Ecclesiæ ministerio successo-  
rum, qui in administratione cœnæ panis fractionem re-  
ligiosè observarint, Exerc. 92. §. 9. Fiat Syllogismus:  
*Quicquid in administratione cœnæ Apostoli aliq; fideles in Ecclesia  
ministerio successores, religiosè observarunt, id etiamnum in S. cœ-  
nâ strictè observandum est. Fractionem panis in administratione  
cœnæ Apostoli aliq; fideles in Ecclesiæ minist. successores religiosè ob-  
servarunt. E. fractio panis etiamnum in S. cœn. strictè obs. est.* Non  
enim inficiamur cujuscunq; panifragii in S. cœnâ neces-  
sitate: sed ejus duntaxat, quod per comminutionem,  
seu partitionem, peragitur: cum alio sensu fractio panis,  
nil notet nisi distributionem, comminutionis præmissæ  
scopum. Quo quidem Apostolus ait *I. Cor. X, 16.* pa-  
nis, quem frangimus, nonne κοινωνία corporis CHRISTI  
est? siquidem hæc absque δόξα & λήψῃ nequaquam obti-  
netur. Comminuisse a. *Apostolos*, & distributioni panem  
præparasse benedictum, in ipso demum Eucharistiæ usu,  
quo apodictico & ἀναγκαστικῶν documento *Wendelinus* pro-  
batum dabit?

§. 6. Quicquid recensivè, & ex sententiâ quorundam  
interpretum, *B. Gerbardus* proponit, de locis *Act. II, 42.* &  
*XX, 7.* non cœnam videlicet *Dominicam* ibidem designari,  
sed *communem*; impudentis negationis dicam, à *Wendelino*  
scriptam §. 9. nondum meretur. Explicant enim textum  
priorem de tenui & parabili victu, apertissimè *Theophyla-  
tus & Oecumenius*: idq; ob rationem *vs. 47.* expressam:

D

καὶ

καὶ οἱ ἄλλοι frangentes panem, sumebant cibum, cum exultatione, & simplicitate cordis: postquam ὡς. proximo celebrata fuisset æqua bonorum omnium distributio, καὶ ὅτι ἀντὶ τῆς χαρίων ἔχῃ: posteriorem Lyranus & historia Scholastica. Etsi disensum interpretis Syri, aliorumq; libenter concedamus. Conciliant Calviniani cum Wendelino Beza in annotat. p. 463. ita scribentem: Latius patere dico hanc panis fractionem, quã nimirum communis ille convictus significetur: neque Syro interpreti assentior, illud ad Eucharisticam restringenti. Ut & Calvinum, super hunc locum sic commentantem: Quibusdam fractio panis cœnam significat: aliis Eleemosynas: aliis, quod inter se communiter epulabantur fideles, κοινωvίαν: Nonnulli S. cœnæ celebrationem esse putant. Et paulò post: Quod hic fractionem panis nonnulli interpretantur S. Cœnam, alienum mihi videtur à mente Luce. Significat n. simul vesci solitos, & quidem frugaliter: nam qui sumptuosa convivia agitant, nõ ita familiariter inter se vescuntur.

§. 7. Successores quod attinet Apostolorum, rectè responsum à B. Gerbardo: Non inducere exemplum hoc absolutam fractionis necessitatem, sed hoc tantum probare, posse hunc ritum ex Christianã libertate retineri, si necessitatis absit opinio. Exceptio: Etsi exemplum successorum, per se & absolutè consideratum, non infert absolutam fractionis necessitatem: tamen religiosissima illa sacri hujus ritus observatio, exemplo Ecclesie Apostolica nixa, arguit fractionem pro adiaphora, & liberã re, non esse habitam, sed CHRISTI exemplo & præcepto sancitam, quam sine fide, & proinde cum peccato, Ecclesia Romana primum ausa est negligere; hæc circumscribitur conclusione: Observatio S. ritus, exemplo Ecclesie Apostolica nixa, non est pro re adiaphorã habenda, nec sine peccato negligi potest. Fractio panis in ipsã cœna administratione facta, est observatio sacri ritus, exemplo Ecclesie Apostolica nixa. E. non est pro re adiaph. hab. nec sine pecc. neglig. potest. Hic autem si ἀπὸ τῆς ἀληθείας veritati consentanea foret, nullã exceptione contrahenda

da, Major, subsumerem: χειροτονία, in ordinatione candida-  
torum ministerii, olim usurpata; impositio manuum, ad  
conferenda miraculosa Spiritus S. dona; inunctio ægro-  
torum, ad restituendam virtute hyperphysicâ sanitatem;  
celebratio diei dominicæ, est talis observatio sacri ritus,  
exemplo Ecclesiæ Apostolicæ nixa, Act. VI, 6. & XIX, 6.  
Jac. V, 14. Apoc. I, 10. Addat alius conclusionem, absurdis  
Calvinisticis affinem. E. χειροτονία in ordin. Cand. minist.  
impositio man. ad confer. mir. Sp. S. dona, inunctio ægr.  
ad restit. virt. hyperph. sanit. celebratio diei domin. non  
est pro re adiaphorâ habenda, nec sine peccato negligi  
potest. Annon proinde limitanda Major: Observatio  
S. ritus, nixa exemplo Ecclesiæ Apostolicæ, ad imitandum  
omnibus omnium temporum Christianis, divinitus propositio, non  
est pro re adiaphorâ habenda, nec sine peccato negligi  
potest. Profer jam edictionem divinam, ad imitationem  
Apostolorum, vel priscae Ecclesiæ, quâ panifragium in  
usu Eucharistiæ instituendum, non minus hodiè nos ob-  
ligantem, ac I. Cor. VI, 1. imitari jubemur, quâ culturam  
virtutum Christiano dignarum, Apostolum, Estote, inqui-  
entem, imitatores mei, ut ego sum CHRISTI. Equidem si pro-  
pagata fuisset ad nostram usque ætatem, frangendi panis  
in usu Eucharistiæ prisca consuetudo, causam non dicere-  
mus, quin retineretur. Quia v. antiquata semel est, si jam  
reduceretur, nec scandalo res illa careret, si infirmos spe-  
ctemus fratres, nec periculo, si veritatis hostes, sub præ-  
textu adiaphororum, ad ipsam Orthodoxias arcem cuni-  
culos callidè agentes. Quibus ut tempestivè eatur ob-  
viam, æquè nostratibus licet, imò decet libertarem no-  
stram, circa ritus Sacramentorum accidentales, tueri, ac  
Ecclesia prisca curæ sibi cordiq; semper eandem manere  
sivit, pro diversitate adversariorum, quibuscum in arc-

D 2

nam

nam descendendum fuit, modò hanc, modò illam cere-  
moniam abrogando, aut recipiendo; dum v. g. in Sacra-  
mento coenæ, jam panes adhibuit fermentatos, propter E-  
bionitas, κακοζηλίᾳ legis Mosaicæ flagrantes; jam azymos  
iterum, propter Græcos, inevitabilem panum fermentato-  
rum necessitatem fingentes: In baptismo, jam unam u-  
surpavit adspersionem, propter Arrianos ἐπρῶσις; jam tri-  
nam, propter Sabellianos ἀνωθεῖτες.

§. 8. Similiter non ferit scopum argumentum *Wende-  
lini* 4. §. 21. *A quocunque sacramento coenæ fuit inditum nomen,  
id pro necessariâ hujus parte est agnoscendum. A ceremonia fra-  
ctionis, sacramento coenæ fuit inditum nomen. E. fract. pan. pro  
nec. hujus part. est agnosc.* Nam & hujus conclusio, fractio-  
ni saltem militat indeterminatæ, neutiquam verò contro-  
versæ illi, quæ ad ipsum præcisè Eucharistiæ usum deter-  
minatur & restringitur. Ne curemus ἀρρώστιαν majoris,  
non concedendæ prius, quàm necessaria simul judicetur  
determinatio Eucharistiæ ad horas serotinas. Siquidem  
ab his etiam adeptæ fuit nomen coenæ, non speciale nimi-  
rum sibiq; proprium, quo à vulgaribus epulis discerna-  
tur: sed generale, multisq; aliis conviviiis commune. Qua-  
le pariter existere fractionem panis συνεκδοχικῶς acceptam,  
inviçtus probat, vel *Wendelini* sententiâ, Syllogismus B.  
Gerhardi: *A ritu apud Judeos quotidiano & usitatisimo coenæ  
DOMINI ab aliis distincta, differentia causâ non denominata fuit.  
Ritus frangendi panem quotidianus fuit apud Judeos & usitatisi-  
mus. E. ab eo differ. causâ denom. non fuit.*

§. 9. Quàm ineptè *Wend.* §. 24. adiaphororum nu-  
mero panifragium excludat, referendum ad eundem cen-  
sum cum distributione & manducatione, ob mandatum di-  
vinum, quod jubeat discipulos facere, quicquid in primâ admini-  
stratione Salvator fecit, sequentia ostendent. Ineptius ad re-  
spon-

*Sponſionem Gerbardianam: Ratio hac, horrenda monſtra, abſolute & univerſaliter ſumpta enititur; Excipit: Quis ante diſputatores hos credidiſet mandato Servatoris horrenda ſanciri monſtra? ita, ſcilicet, ſatis religioſè habetis mandata Domini; monſtra vobis enituntur, quoties preconceptis veſtris opinionibus adverſantur. Sed benè res habet. Monſtra iſta iudicii veſtri ſunt: ἀμαρτήματα & ἐκτροπώματα, non mandati Servatoris γενήματα. Mandato fanè divino nullius monſtrum dogmatis natalia debet. Nondum verò declinari patimur onus probationis; mandatis divinis, impunè nunquam frangendis, fractionē Calviniſticam contineri. Quæ antequam promatur, non niſi παρασκευάσεις ἀμαρτήματα, ἀτυχήματα, ἐκτροπώματα, γενήματα Arcadica, portenta & prodigia cerebelli Calviniſtici, Wendelini aſſeclas parturire, longè certius aſſeverandum erit.*

## VII.

*Alia ſunt verba Evangelistarum hiſtorica, quibus celebrationem primam S. Eucharistiæ deſcribunt, alia præceptiva CHRISTI, quibus Eucharistiæ ipſe inſtituit.*

*§. 1. Primum Wendel. argumentum eſt: Quia Chriſtus in prima cœnæ adminiſtratione fregit panem, idemq; diſcipulos ſuos juſſit facere, præcepto, hoc facite. §. 4. Syllogiſticè: Quicquid Chriſtus in prima cœnæ adminiſtratione tum Exemplo ſancivit, tum præcepto, id ſummoperè ad integritatem S. cœnæ eſt neceſſarium. Fractionem panis (ſenſu Calviniſtico ſumptam) Chriſtus in prima cœnæ adminiſtratione tum exemplo ſancivit, tum præcepto. E. Fract. pan. (ſenſu Calv. ſumpt.) ad integ. S. cœn. ſumm. eſt neceſſaria. B. Gerbardus diſtincta diſtinctè expenſurus, rationem iſtam in duo membra partitur, exemplum atq; præceptum, & ad primum, Exemplum, Reſpondet: Majorem omiſſam: Quicquid Chriſtus in primâ cœnæ adminiſtratione*

tionem fecit, id ministri ipsius quoque debent facere: Limitando: Quas actiones *εὐχαριστίας*, b. e. primarias & ad integritatem Sacramenti necessarias Christus adhibuit, easdem adhibere & Ministris Ecclesie convenit: *εὐχαριστία* v. & secundaria absque detrimento integritatis abesse possunt, quippe quae tempori tantum, vel circumstantiis inserviunt. Quibus etiam fractio accensenda. Regerit Wendelinus: Dic mihi, quæso, Gerharde, quo Theologico & infallibili *κεληρίῳ* distinguas inter actiones Salvatoris, in ipso prima administrationis actu adhibitas *εὐχαριστίας*, necessarias, & *εὐχαριστίας*, non necessarias atque liberas, ab Evangelistis & Paulo expressè enumeratas & consignatas. At situm in propylæo *κεληρίῳ* hoc erit, dummodò probè distingvatur, inter verba historica, seu narrativa Evangelistarum atque Pauli; & præceptiva Christi. Historica sunt Evangelistarum illa: Dominus noster JESUS CHRISTUS in ea nocte, qua traditus est, accepit panem, benedixit, fregit & dedit discipulis: Præceptiva Christi hæc: Accipite, comedite, Hoc est Corpus meum, quod pro vobis traditur, &c. Quam distinctionem monstravit Ambrosius lib. 4. de Sacramentis cap. 5. Vide, omnia illa verba Evangelistæ sunt usque ad accipite, &c. Hæc igitur posteriora complecti actiones *εὐχαριστίας*, sive ad constitutionem & integritatem sacramenti necessarias, à quibus vel latum recedere unguem nefas, illustri documento est interpretamentum Apostolicum, I. Cor. XI, 26. mandatum Christi disertè restringens ad manducationem & bibitionem. Ut enim Salvatoris vox est: Hoc facite in mei commemorationem: Sic immediatè Apostolica subjicitur *ἡ ζωὴ*: quotiescunque manducabitis panem hunc, & calicem hunc bibetis, mortem Domini annunciabitis, donec veniat. De actionibus autem *εὐχαριστίας*, libertati Christianæ subjectis, loquuntur verba superiora Evangelistarum, non diffidente inter Calvinianos Piscatore. Sic enim ille in cap. XXVI. Matth.

CUR



Cur illud mandatum, hoc facite, debeat referri ad ea tantum, quæ Dominus discipulis tum imperavit, nempe ut panem illum ac poculum acciperent, ederent & biberent; Non autem ad actiones benedicendi, frangendi, & porrigendi, à Domino tunc administratas: ratio hæc est, quod distinctas oporteat esse actiones Ministri & communicantium: nec actiones ministri ad communicantes pertineant: In prima autem illa cœna ministrum egit solus Dominus: Apostoli v. communicantes. Confer. verba Zanchii & Aretii citanda §. 6.

§. 2. Rectissimè pergit Gerbardus: Si Major omiſſa simpliciter esset vera, multa exinde absurda esse eventura: nempe cœnam Dominicam non nisi Hierosolymis in cœnaculo strato, noctu, & c. esse administrandam. Instat Wend. §. 5. Quod obijcitur de Hierosolyma, cœnaculo strato, & nocte, ineptum est, nec Lutbero, nec Gerbaro dignum: Non enim questio est hoc loco de circumstantia loci & temporis, sed de actionibus à servatore in administratione adhibitis. Quasi verò Circumstantiarum ambitu, præter locum & tempus, nec actiones liberæ & indifferentes continerentur. Quasi itidem actio talis, in administratione S. cœnæ, non fuisset accubitus Christi cum duodecim discipulis ad mensam, à cuius obligatione tamen se immunes profiterentur Calvinianorum non pauci, dum non sedendo, vel accumbendo, sed vel stando, vel panem in catinis, vinum in poculis, aut cantharis, circumferendo, eucharistiam dispensant, & usurpant. Quasi non meram concernat circumstantiam loci & temporis, controversum *ἕρμηνευμα*: An perinde sit, siue domi, siue in templo, seu ante, seu post recitationem verborum Christi, frangatur panis?

§. 3. Ad Lutherum porro quia Wendelinus provocat, cum similia (scilicet) objicerent Pontificii, calicis q̄ necessitatem oppugnarent, aliarum circumstantiarum libertate, ita loquentem fol. 345. Ist auch nicht gleich / wie diese Eselköpffe rühmen / daß Christus

Christus das Sacrament nach dem Abendmahl gehalten / und  
 das die Kirche hernach des Morgens nüchtern braucht / und  
 reicht. Dann Christus das Sacrament an ihm selbst / oder  
 beyde gestalt / hat er nicht frey gelassen / daß es diese Säu und  
 Esel möchten endern: Solches solt ihr thun / spricht er / und be-  
 fihlet damit / daß er es wil ungeendert und ungelassen haben:  
 Quibus verbis de suo id addit. *Wendelinus; de similibus simi-*  
*le est iudicium: mandato: hoc facite: comprehendi quoq; ex Lu-*  
*theri sententia fractionem, evincunt, qua modo dicta sunt, & de-*  
*inceps dicentur: Ut dissimilitudo maxima, inter δεβουλασία*  
 Calvinisticam, & communionem sub utraque, ceu actio-  
 nem ἀναμφοισθητήτως Divinitus imperatam; nec non con-  
 sensus cum sententiâ nostrâ, ex eodem *Luthero*, ad oculum  
 pateat, juvat adscribere quæ extant in lib. contra cœ-  
 lest. prophet. part. 1. Tom. 3. Jen. p. 63 So die eusserliche  
 Geberde so strenge sollen gehalten werden / wil es dahin  
 kommen; das dieß Abendmahl allein den Jüngern zu halten ge-  
 wesen sey / welchen ers allein dazumahl befahl und zusprach.  
 Vnd S. Paulus *I. Cor. XI.* wird eitel Narrheit werden / Item:  
 Weil wir nicht wissen / und der Text nicht giebet / ob es roht o-  
 der blanck Wein gewesen / ob es Semelen / oder Gersten Brodt  
 gewesen sey / würden wir in dem Zweifel dieweil müssen das A-  
 bendmahl lassen anstehen / bis wir es gewiß werden / daß wir ja  
 kein eusserlich Ding umb ein Haar anders machen / denn Chri-  
 stus Exempel fürträgt. Ja wir werden auch das Osterlamb  
 auff Judisch zuvor essen / &c. Denn wo wir das versehen / so ist  
 der Kottengeist da / und schreyet: Wir hencken / morden und  
 creuzigen Christum / so trefflich Ding ist hie / und so gar liege  
 hie die Seeligkeit vergraben / vielmehr denn in Christus Wun-  
 den / Blut / Wort und Geist.

§. 4. Nec arietat secundam Gerbardi responsionem,  
 quâ ita limitatur Major: *Quicquid CHRISTUS in primâ*  
*cœnâ*

cœnæ administratione fecit, facere etiam convenit Ecclesiæ ministris, non tam ratione modi, quàm ratione finis: quia multa in S. cœnâ occurrunt, quæ quamvis modus eorum absolutè non sit cognitus; quoad substantiam tamen retineri fas & opus est: quo pacto propositione limitatâ, negatur sequi fractionem panis, ratione modi, debere adhiberi: quamvis ratione finis, h. e. commodæ distributionis, in cœnæ administratione adhiberi debeat: Instantia Wendelini §. 6. ad modos, ex defectu revelationis incognitos observandos nemo obligatur: atqui fractio panis non est incognita: siquidem uno ore affirmant Evangelistæ & Paulus, in primæ administrationis actu, panem à CHRISTO esse fractum, & post fractionem distributam. Fractio quippe non modus est, sed res ipsa, modorum, pro varietate locorum & temporum, diversissimorum, & jam superius annotatorum, capax. Imò variat modus frangendi panem etiam apud Calvinianos. Quidam enim panem ita comminuunt in frustra majora, ut ex singulis deinceps quaternas particulas faciat Ecclesiæ minister: Quidam in partes plures dispeſcunt. Singularem verò illum modum, quem usurpare, tanquam sui νόμος, Salvatori visum est, cum silentii sipario Evangelistæ involvant, quotusquisque nostrum dicet, illum vel illum fuisse, aut, si dicere audeat, (v. g. cum Thoma, Lyrano, Cajetano, ita fractum fuisse manibus panem, quasi cultro scinderetur, ut ne mica quidem in terram exciderit; aut cum Piscatore in Matth. & Tosfano, DOMINUM panem fractum in duas partes dedisse in manus proximè assidentium ad dextram, & sinistram, ut sibi mutuò porrigerent, donec singuli sibi particulam decerpſissent) unde probabit? ut August. loquitur lib. de unit. Eccles. Et annon errorem hunc Wendelini pridem rejecit Patriarcha illius & daduchus, Calvinus in comm. concion. Evang. p. 334. Adhuc incertum est, inquam fractionis ritus, & ad quem modum à CHRISTO fuerit observatus?

§. 5. Consequentiam hujus ratiocinii: Fractio est propter commodiorem distributionem: E. actio in cœnæ administratione

E

necef.

*necessaria non est, ratio à Gerbaro addita abundè roborat, & quod perinde sc. sit, sive in ipsâ administratione panis frangatur per manus ministri Ecclesiastici, sive ante administrationem, per alium, quòd utroque modo obtineatur finis, nempe aptitudo ad distribuendum: simulq; confutat instantiam Wendelini: Distributio atq; sumptio elementorum sunt propter manducationem & bibitionem: Et tamen actiones in administratione sacramenti necessariae sunt: cum neutiquam tam arctus & propinquus versetur nexus, inter fractionem & distributionem, ac inter distributionem, & manducationem atque bibitionem.*

§. 6. Occinit tamen porrò *Wend. §. 7.* Forsan perinde quoque erit, sive gratiarum actio, & aliae solennitates à pistore aut coquo administrationi in culinâ aut ad furnum præmittantur, sive à verbi ministro in administratione adhibeantur, & sic opera hæ sacra & Ecclesiastica inter pistores & pastores distribuantur. Syllogisticè: Cuiusq; non competit gratiarum actio, cum similibus solennitatibus, in administratione S. cœnæ, ei nec fractio panis Eucharistici demandari potest. Pistori non competit gratiarum actio, cum aliis solennitatibus, in administ. S. cœnæ. E. nec fract. pan. Euch. ei demand. potest. At quodnam fulcimentum substernitur Majori? Mirum, quod *Wendelinus* pariter non translata velit ad pastorem, tum à pistore panis Eucharistici coctionem, tum à vindemiatore, vini ex uvis expressionem, tum ab ædituo (cui *Nostrates* etiam fractionem panis καὶ ἀλήθειαν committunt) vini expressi allationem, allatiq; in poculum infusionem. Sic n. demum singulæ actiones ad S. cœnæ dispensationem necessariae, ab uno eodemq; subjecto plenè exercerentur.

§. 7. Testimonia *Zanchii & Aretii*, non postrema inter Calvinianos Doctores subsellia occupantium, de defectu præcepti ad fractionem panis Calvinisticam nos obligantis, clariore in luce posita sunt, quàm quæ in dubium vocari ullatenus possunt. *Video equidem, inquit Zanchius* de fract. panis in lib. ad *Otton. de Grünraht*, pag. 229. *Quid fecerit CHRISTUS, quid Apostoli, nec ignoro, sequenda esse*  
CHRISTI

CHRISTI exempla, sed apertum hac de re mandatum non lego, sic  
ut lego porrectum esse panem accipiendum & edendum: manda-  
tum negans non tantum speciale, ut *Wendelinus* excipit,  
sed indiscriminatim, omne quod sit apertum. Suffragatur  
*Aretius* sect. 4. de coenâ p. 74. Alii ad omnia superiora refe-  
runt, hoc facite, sed non satis continua est interpretatio. Nam in alterâ  
Sacramenti parte quoque repetit, hoc facite, cum tamen ad fractionem  
non possit referri, ideoq; simplicior & verior est sententia, ut facite ad  
suum copulativum referamus, hoc facite, h. e. coenam celebrate in meâ  
commemorationem. Sententia enim Domini est, non in alterius nomine  
hunc ritum esse repetendum, sed in Salvatoris saltem CHRISTI nomine,  
neque ad fractionem nos voluit ligari.

§. 8. Quo sensu *B. Lutherus* necessarium statuerit pa-  
nifragium, vi mandati: Hoc facite, tom. 3. Jen. fol. 468.  
& 180. nec non in lib. de abrog. missæ privatæ, partim  
contextus, partim solius libri allegati titulus, sæpe, hor-  
tatu veterum, quod multa interdum moneat, legendus,  
affatim docet. Disputat enim hic ex professo *Lutherus*,  
contra missam Pontificiorum privatam, seu angularem,  
eamq; reprehendit, ob neglectum non comminutionis ho-  
stie in aliquot partes (partiuntur hanc quippe omnino  
in tres portiones, unam viventibus, alteram defunctis,  
tertiam beatis deputantes, teste hoc loco *Luthero*) sed di-  
stributionis inter plures, dum sibi solis universas partes sumunt  
(verba sunt *Lutheri*) simulatâ fractione, si nim. pro distri-  
butione ponatur. Quamobrem passim *Luthero*, tanquam  
optimo verborum suorum interpreti, id frangere, idem est  
quod distribuere, dare, exhibere, aliis offerre. Fidei liberandæ  
ergo citamus è tom. 2. Jen. p. 240. sequentia: Daß der  
Spruch von der Sacramentalischen Gemeinschaft zu verstehen sey/ beweiset  
das/ das Paulus spricht: Das Brodt/ das wir brechen/ ist die Ge-  
meinschaft des Leibes Christi: Denn das brechen/ ist ohne Zweifel das  
Sacrament handeln/ mit geben und nehmen/ darumb muß er ja reden  
von der Gemeinschaft/ die die Brecher des Sacraments halten. Du  
E 2 haben

Haben die Brecher nicht alle die Geistliche Gemeinschaft am Leibe Christi / ob sie wol alle die Sacramentliche Gemeinschaft haben. Darumb muß St. Paulus Spruch den Sinn haben / das Brodt brechen ist die Gemeinschaft des Leibes Christi Ebraico more: *fractio panis est participatum corpus Christi, pro participatio Christi,* auff's aller einfältigste den Worten nach / also / das brechen ist der aufgethellere Leib Christi / also / daß der Spruch auff's allerfeinste unsern Glauben besterige / und ganz mit den Worten Christi stimme / daß das Brodt sey der Leib CHRISTI. Unde ingenua prodivit confessio Lavateri in certam. Saeram. p. 2. *Lutherum negasse fractionis (Lavateri sociennis usitatæ) necessitatem.*

§. 9. Missam quoq; Pontificiam spectare, quæ apud Chemnitium reperiuntur in Exam. Conc. Trid. part. 2. refut. arg. 5. pro missa: *Relativum τῶν in mandato CHRISTI, Hoc facite, nihil aliud effuit, quàm ministros Ecclesiæ, in administratione cœnæ Dominica, hoc debere facere, quod constat & certum est, Christum in institutione cœnæ fecisse: præter universum contextum luculentissimè comprobant immediatè coherentia: Non a. legitur ibi, sacrificasse aut obtulisse Patri corpus & sanguinem suum. E. nec sacerdotes hoc facere debent, si nolint ἀγορεύειν ἀ Christo iudice accusari, &c.* Ecquis igitur nobiscum non detestabitur manifestissimam calumniam *Wendel.* §. 8. *Mandati divini neglecti vos accusat Chemnitius vester, accusat Lutherus vester, ambo Lutherana Ecclesiæ lumina & columina.* Uns ist recht geschehen / inquit Lutherus Tom. 6. F. 93. b. da wir ins Teuffels Rahmen wolten klüger seyn / dann Gott / und die Mess besser ordnen / als Er sie geordnet hat. *Capite vobis hoc.* Si ingentis criminis falsi reus ageretur, nec mendaciorum vocaretur insignis architectus, sed mendacium ipsum, nonne potiore jure id sibi capere juberemus *Wendelinum?*

### VIII.

**F**ractio corporis Christi in cruce, non propria fuit, sed Metaphorica.

§. 1. Tertium *Wendelini* argumentum est: *Quia fractio est*

*est ceremonia sacramentalis significans nobis & obfignans fractionem  
& crucifixionem Christi: Unde respectu ceremonie bujus, Paulus dicit,  
Christi corpus pro nobis esse fractum. §. 12. Syllogisticè: Ce-  
remonia sacramentalis significans & obfignans nobis fractionem &  
crucifixionem Christi, in actu S. cœnae est necessaria. Fractio panis  
Eucharistici, est ceremonia sacramentalis, significans & obfignans no-  
bis fractionem & crucifixionem Christi. E. Fract. pan. Euch. in a-  
ctu S. cœn. est necesf. B. Gerbardus per Inficiat. Mino-  
ris. Urget Wend. in partem contrariam. 1. Analogiam ab  
ipso Paulo indigitatam, dum corpus Christi, cujus sacra-  
mentum est panis fractus, pro nobis esse fractum di-  
cit. 2. Rationem Sacramenti, id flagitantem, ut sit aliqua  
similitudo Symbolorum sacramentalium & rerum cœle-  
stium, Unde hi syllog. emergunt: Quicquid ipse Paulus  
exprimit, non est negandum. Analogiam inter fractionem panis &  
corpus dominicum, ipse Paulus exprimit. E. 2. Quicquid aliquam  
alio cum pane Eucharistico similitudinem, ejus etiam fractio, fractio-  
ne panis Eucharistici representatur. Corpus Christi aliquam alio  
cum pane Eucharistico similitudinem. E. Etiam Corp. Chr. fractio.  
fract. pan. Euch. rep. Verum rursus falsissima in syllog.  
primo Minor. Dum fractum pro nobis corpus Christi  
Apostolus dicit, 1. Cor. XI, 24. per traditionem videl. in  
mortem, interprete Evangelistarum trigâ, Mattheo, Marco,  
& Luca, Analogiam quidem aliquam collocat, inter mor-  
tem Salvatoris & fractionem; non autem panis, sed alio-  
rum quorundam corporum humanorum, sitam in exqui-  
sitissimis cruciatibus, & ignominia plenissimis tormentis.  
Ut enim talia subeunt malefici, qui fractione osium è me-  
dio tolluntur: ita nec corpori Salvatoris, vel ad immani-  
tatem dolorum, vel ad ignominiam summam quicquam  
defuit, pendulo inter duos latrones, & infernalia verè  
supplicia experto, Esai. LIII, 4. 5. Consentit Piscator in  
Matth. Corpus Domini inquit, fractum est suo modo, quate-*

nus nimirum cruci affixum fuit, ibiq; pendens, indivisibilis cruciatus  
persensit. Fractione autem panis si adumbrari deberet,  
fractio corporis Christi, non analogica hæc fuisset & Me-  
taphorica, sed propriissima, facta per comminutionem  
in aliquot partes. Talis quippe pani Eucharistico com-  
petit, sed aliena prorsus à corpore Christi, *Job. XIX, 33.*  
juxta typum agni paschalis, *Exod. XII, 46.* Quem cum  
figuris cæteris Christum adumbrantibus fœderiq; anti-  
quo propriis postquam τὸ σῶμα T. Novi semel sustulit, to-  
to errant coelo, quicunq; ullum Dominici corporis typum  
etiamnum in S. coenâ quærunt.

§. 2. In posteriori fallit Major, ἀλόγως procedens à  
genere ad certam & determinatam speciem. Quæ con-  
sequentiâ datur inter corpus Domini, & panem Eucha-  
risticum, analogia. E. Præcisè hæc, quæ in fractione con-  
sistit; pari pasu ambulans cum ista: Datur analogia in-  
ter sanguinem Christi, & vinum Eucharisticum. E. Sta-  
tim hæc, quæ sita est in effusione, nullo uspiam sacrarum  
literarum apice adsignificata.

§. 3. suffragiis Pontificiorum, pro fractione mysterii  
cujusdam repræsentativâ, addere *Wendel.* potuisset con-  
sensum *Photinianorum*, ut *Catech. Racov. Major. Cap. 3. p. 223.*  
*Oster. in Instit. german. cap. 38.* Nos contra eandem, ut reuo-  
lentem Papismum ac Photinianismum, adeoq; suspectam  
mysterii iniquitatis, extra Ecclesiæ nostræ fines constan-  
tèr proscribimus. *Ivelli v. Sarisburg. Episcopi, rigidi aliàs*  
*Calviniani, pronunciatum, in Resp. ad Harding. art. II.*  
*p. 73. Sacramentum in partes divisum est, non quo nova quedam*  
*nescio quæ mysteria indicaret, sed quò populus communicaret: nec*  
*non Rami in Theol. lib. 4 cap. 8. Christus fregit propter di-*  
*tributionem; licet nil solidè καὶ πειστικῶς probet: aptius ta-*  
*men à nobis adducitur, adversus Wendelinum, quam il-*  
*le nobis objecit depravata pessimè, & in alienum detorta*  
*sensum dicta Lutheri & Chemnitii.*

§. 4.



§. 4. Coeterum negat *Wendelinus* §. 13. fractionem panis tantum esse præparatoriam ad distributionem, sine ulla alia significatione mysticâ, ob situm verbi fregit inter alia actionum necessariorum significativa. Non duo tantum coherent verba, sed quatuor, *Accipit, gratias egit, fregit, dedit.* Primam, secundam, & quartam actionem pro necessariis, ad integritatem Sacramenti pertinentibus, habetis, tertiam pro libera & adiaphora: quo quæso fundamento? Syllogisticè: Quicumq; ritus ponitur inter actus necessarios, is nequaquam censendus est adiaphorus. *Fractio panis Eucharistici, est ritus qui ponitur inter actus necessarios. E. Fract. pan. Euch. neq. cens. est adiaph.* Ast quia nec probatur, nec probari potest Major, sua futilitate evanescit. Quid quod *I. Cor. XI, 24.* verbum *dedit* penitus omittatur. Quis insuper tantus est in narrationibus Evangelistarum hospes & infans, ut, ordinem rerum gestarum non strictè semper observari, sed multoties τὸ ὑστερον δεξιῶν occur- rere, nesciat. Verum ponamus necessitatem fractionis in usu cœnæ, an ideò protinus evicta erit significatio mystica, seu fractio *representativa*, qualem Calviniani comminiscuntur?

§. 5. *Lutherus*, cujus hoc citatur testimonium: Ist dieß nicht ein Mußwill und Frevel/ wann in einer Rede drey Stück nacheinander folgen/ und an einander hangen/ benedixit, fregit, dedit, daß jemand darff sagen/ das Erste und Letzte gehören zusammen / ( seyn nöhtig ) aber das Ander und Mittelst gehöre zu der keinen. (tanquam necessarium) Quid per fractionem ad S. synaxin necessariam intelligat, jam ante demonstratum est.

§. 6. Sequelæ sine sequela: *Fractio servit distributioni. E. necessaria non est. Fractio servit distributioni. E. Finis ejus alius nullus fuit. Fractio est organica. E. Sacramentalis actio non est:* Non nostræ sunt argumentationes, sed larvæ *Wendelini*, quibuscum absq; adversario pugnat. Nos ita colligimus: *Quicquid tantum servire debet distributioni panis Eucharistici, id in ipsâ præcise Euch. necessarium non est.* Ratio: quia commodè satis panis distribui potest, etiamsi Eucharistiam actus præparatorius antecesserit. *Fractio panis Eucharistici (per comminutionem) tantum servire debet ipsius distributioni. E. in ipsâ præcise Euch. nec. non est.* Item: *Cuicumq; ceremoniæ scriptura nullum adsignat finem præter distributionem, illi perperam tribuitur significatio aliqua mystica.* Ratio, quia hæc è scriptura unicè innotescit. *Fractio panis Euch. Scriptura nullum adsignat finem præter distrib. E. Fractio panis Euch. perp. trib. sign. mystica.* Porro: *Ceremonia organica ad commodiorem distributionem,*

NON

*non est actio sacramentalis essentialis. Fractio panis Eueb. (per comminutionem) est cerem. organica ad commod. distributi. E. talis fract. non est sacr. act. essent. Abrumpant hujus telæ stamen, aut subtegmen, si valeant, antagonistæ.*

§. 7. Cur autem I. Cor X. 16. per fractionem intelligi non debet distributio, phrasi Hebræis familiari? quia non hîc, sed cap. sequenti integra recitatur institutio, ubi non minus Paulus, quam Evangelistæ, fractionem à distributione distingvunt, ait Wend. §. 14. At hoc nihil facit contra nos, quin potius pro nobis militat, & Hebraismum, Paulo aliàs frequentem, maximè confirmat. Quia nempe panis fractus etiam tunc, quando fractio distributioni non contradistingvitur, extra plenam recitationem singulorum verborum institutionis, vocatur *κοινωνία* corporis Christi, utiq; fractio h. l. per distributionem rectissimè explicatur, siquidem hæc proximè efficit, ut panis Eucharisticus talis *κοινωνία* sit. Imò etiam cap. XI, 24. in repetitione verborum institutionis, omissio verbo dedit, usurpatur alterum fregit, ad innuendam illorum *ἰσοδυναμίαν*. Consentit è Calvinianis Wolfg. Muscul. in I. Cor. X, 16. *panem vocat Apostolus, idq; in ipsâ sacrâ fractione, h. e. distributione, quem Papistæ panem esse negant.*


§. 8. Analogiam significativam, quâ fractio panis à Calvinianis putatur repræsentare fractionem corporis Christi in cruce, per vulnerationem, in solutione violentâ continui Wendelin. temerè collocat §. 17. *Fractio est solutio continui: Vulneratio, quam multiplicem in cruce Salvator sustinuit, fuit solutio continui. Quidni igitur analogia sit inter fractionem panis Eucharistici, & vulnerationem corporis Dominici? Repræsentare enim rem gestam, est illam per actionem aliam ad vivum exprimere. Itaque si fractio panis repræsentare deberet fractionem corporis Dominici, non minus hujus, quàm illius fractio propriè dicta asserenda foret, quæ nempe peragitur comminutione, seu divisione continui in partes à toto separatas, reclamante *διαρρήδην* scripturâ, Joh. XIX. Vulnerationem autem, quam in corpore suo Salvator sustinuit, si repræsentari in pane Eucharistico Wendelinus cupiat, non fractione ejus, sed perforatione opus erit. Hac enim vulnera corpori Salvatoris inflicta fuisse novimus. Concludat proinde, & coronidis instar disputationem nostram obsignet, invicta assertio B. Gerhardi: *Nemo hactenus ex Calvinianis, ne Wendelinus quidem, explicuit, seu explicare potuit, in quo similitudo illa consistat, inter Christi passionem, & panis Eucharistici fractionem. E. similitudo planè nulla est, scripturæ ignota, ortum suum habens ex insipido Calvinianorum cerebro, ac proinde risu potius quàm refutatione digna.**

TANTUM.

Restaurierung  
H. D. Lomp  
36110 Schlitz







B.I.G.

Farbkarte #13



THEOLOGICÆ, 16

**ISMUS**

**TICO,**

**ASIA**

**STICA,**

**ARDO,**

TIONEM XC. & XCII.

te Gratiâ,

anorum,

ultatis Theologica,

D E

**LAGO,**

em D.

ni subjecta

Westerwikiâ-Sveco.

ptima matutini.

ALDIÆ,

Typogr. impressæ 1659.

1659

